

essitates corporis, quibus anima invita servare cogitur; unde pro his orandum cum Psalte, *Psalm. xxiv, 17*: « De necessitatibus meis eripe me. » Clarum hoc est in ægrotis, qui toti sunt in corpore curando, ejusque valetudine recuperanda, ut nec studere, nec meditari, nec laborare, nec quid aliud agere valeant: imo et in sanis, hi enim tertiam fore diæ vitæque partem, dormiendo transigunt; duas reliquas diæ partes sepe labori manuali, prandio, cenæ, recreationi, confabulationi, etc., impendunt, ut vix dimidiam horam inveniant, quam dent orationi et Deo. Hinc origenis et pythagorici censuerunt animam a Deo creatam perfectam ante corpus, sed ob peccata a se admissa detrusam in corpus, quasi in carcerem, ut scelerum penas lueret; manichæi vero, inquit S. Augustinus, lib. *De Hæresibus*, in XLVI: « Etsi utuntur conjugibus, conceptum tamen generationemque deviant, ne divina substantia, que in eos per alimenta ingreditur, vinculis carnis ligetur in prole; » verum hæc sunt Manis mania et vesania.

16. ET DIFFICILE ASTIMAMUS (græce *διὰ τὴν*, id est *imaginamur*, conjectamus) QUE IN TERRA SUNT; ET QUE IN PROSPECTU (græce, *quæ in manibus*) SUNT, INVENIUNT CUM LABORE. QUE AUTEM IN COELIS SUNT, QUIS INVESTIGAVIT? — Græce, *ἔρευνᾶται*, id est *investigabit*, q. d. Nemo investigavit, nemo etiam investigabit per se, sine duce sapientia. Cantacuzenus per *ἐπιπέρας*, id est *imaginamur*, censet notari sensus, tum externos, tum internos, per quos e rebus sensibilibus hauriuntur imagines, id est species, quæ menti imprimuntur, ut res cognoscant, non ubi sunt in se suaque essentia, sed per species quasi per colores, quibus res vestiuntur, depinguntur et quasi colorantur: quare naturas et substantias rerum non cognoscimus, sed tantum externas earum formas et picturas. Omnia nec ostendunt, quomodo corpus depravat animam et mentem.

17. SENSUM AUTEM TUUM QUIS SCIET, NISI E DEBERIS SAPIENTIAM, ET MISERIS SPIRITUM SANCTUM TUUM DE ALTISSIMIS? — Pro *sciet*, græce est præteritum *scivit*; S. Cyprianus, *De Singular. Cleric.* legit, *scit*: per præteritum enim cætera tempora denotat, puta præsens et futurum. Hinc et S. Hieronymus in *Zachar. cap. xii, pro dederis et miseris* legit, *dedisti et misisti*. Pro *sensum*, græce est *ἐπιπέρας*, id est *constitum*, mentem, voluntatem. Spiritus sanctus, tum creatus hic sumi potest, puta gratia et charitas; tum increatus, puta tertia persona S. Trinitatis: huic enim appropriatur illuminatio et sanctificatio; unde Ecclesia eum invocans ait:

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

18. ET SIC (male Lyranus et Dionysius legunt, *et*) CORRECTE SINT SEMITÆ EORUM QUI SUNT IN TERRIS, ET QUE TIBI PLACENT DIDICERUNT HOMINES? — Notat duplicem effectum sapientiæ et Spiritus Sancti: *primus* est, quod doceat ea, quæ sunt grata Deo; *secundus*, quod ad ea opere explendum, gratiam roburque suggerat, per quam mentes reformat, et mores corrigit. Pro *correcta*, S. Cyprianus *De Singular. Cleric.* legit, *directa*.

19. NAM PER SAPIENTIAM SANATI SUNT QUICUNQUE TIBI PLACERUNT A PRINCIPIO. — Hæc ultima verba desunt in Græco. Pro *sanati sunt*, græce est *ἰαθέντες*, id est *servati vel salvati sunt*, hoc est liberati sunt a periculis mortis, tum corporis, tum animæ; unde horum exempla deinceps recenset usque ad finem libri: quocirca ab hoc versu comput decimum inchoant nonnulli. Simili modo Sapientem imitatus S. Paulus, *Hebr. xi*, toto capite probat omnes, qui ab origine mundi salvati sunt, per fidem fuisse salvatos.

TERTIA PARS LIBRI SAPIENTIÆ,

DE QUÀ SAPIENTIA, EJUSQUE FRUCTUUM ENEMPLA E PATRUM HISTORIA RECENSET, QUIBUS SAPIENTIA PRÆSTANTIAM AC DOTES HACTENUS RECENSITAS CONFIRMAT.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon, quæm per sapientiam adepti sunt Adam, Noe, Abraham, Loth, Jacob, Joseph, Moses, Hebræi transcentes mare Rubrum, meritis in eo Egyptiis, commemorat.

1. Hæc illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, 2. et eduxit illum a delicto suo, et dedit illi virtutem continendi omnia. 3. Ab hac ut recessit injustus in ira sua, per iram homicidii fraterni deperit. 4. Propter quem, cum aqua deleret terram, sanavit iterum sapientia, per contemptibile lignum justum gubernans, 5. Hæc et in consensu nequitiae cum se nationes contulissent, scivit justum, et conservavit sine querela Deo, et in filii misericordia fortem custodivit. 6. Hæc justum a pereuntibus impiis liberavit fugientem, descendente igne in Pentapolim: 7. quibus in testimonium nequitiae fumigabunda constat deserta terra, et incerto tempore fructus habentes arbores, et incredibilis animæ memoria stans figmentum salis. 8. Sapientiam enim prætereuntes non tantum in hoc lapsi sunt ut ignorarent bona, sed et insipientiæ suæ reliquerunt hominibus memoriam, ut in his, quæ peccaverunt, nec latere potuissent. 9. Sapientia autem hos, qui se observant, a doloribus libera vit. 10. Hæc profugum iræ fratris justum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum: honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius. 11. In fraude circumvenientium illum affuit illi, et honestum fecit illum. 12. Custodivit illam ab inimiciis, et a seductoribus tulavit illum, et certamen forte dedit illi ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia. 13. Hæc venditum justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eam: descenditque cum illo in foveam, 14. et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, et potentiam adversus eos, qui eum deprimebant: et mendaces ostendit, qui maculaverunt illum, et dedit illi claritatem æternam. 15. Hæc populum justum, et semen sine querela liberavit a nationibus, quæ illum deprimebant. 16. Intravit in animam servi Dei, et stetit contra reges horrendos in portentis et signis. 17. Et reddidit justis mercedem laborum suorum, et deduxit illos in via mirabili: et fuit illis in velamento diæ, et in luce stellarum per noctem. 18. Transtulit illos per mare Rubrum, et transvexit illos per aquam nimiam. 19. Inimicos autem illorum demersit in mare, et ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideo justi interunt spolia impiorum. 20. Et decantaverunt, Domine, nomen sanctum tuum, et victricem manum tuam laudaverunt pariter: 21. quoniam sapientia aperuit os mutorum, et linguas infantium fecit disertas.

QUI PRIMUS FORMATUS EST A DEO HÆC, CUM SOLUS ESSET CREATUS, hic omnis est sermo; græce, hæc *protoplastum*, *Hæc*, scilicet sapientia, de qua *mandi patrem, solutque creatum conservavit*, q. d. Sapientia Adamum, qui primo solus a Deo fuit

creatus et plasmatus, ut esset pater omnium hominum totius mundi, custodivit, ne quo casu lederetur aut lateretur, praesertim ne a feris, serpenticibus, venenatis herbis, fulminibus et procelis, vel a diemonibus occideretur, itaque tota hominum stirps existingeretur, sed ut viveret vegetus, sanusque perseveraret ad aetatem etatis 330; itaque genus humanum per multos filios et filias, ac nepotes et nepes propagavit. Adam vocatur *protoplastus*, quia corpus ejus a Deo ex luto plasmatum et efformatum est, sicut a figulo finguntur et formantur vasa et simulacra ex luto et creta; ac deinde Deus in plasma, sive corpus hoc, animam inspiravit et insufflavit, itaque factus est homo in animam viventem, id est animal vivens, homoque rationalis: vide dicta *Gen. 1 et 2*. Hinc homines Deo facti et factori suo obmurmurantes, quod alios se non formavit, nec alio meliore modo et conditione eos formaverit, ut aliam sortem, statum et gradum eis daret, redurgentes Isaïas, cap. xxxv, vers. 10: « Perversa, aut, est haec vestra cogitatio: quasi si lutum contra figulum cogitavit, et dicat opus factori suo: Non fecisti me: et figmentum dicat factori suo: Non intelligis. » Quo alludens S. Paulus *Rom. ix, 20*: « O homo, ait, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus hinc ea et illinc massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? » Clare vero et fuse Jeremias, cap. xvii, vers. 6: « Ait Dominus: Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel: » et vers. 11: « Ecce ego fingo contra vos malum, et Deus ergo est nostri corporis, conditionis et sortis plasmas, sive figulus; lutum est terra et limas; plasma sive figmentum est corpus nostrum: vide dicta saepe jam citatis. Idem a Mose didicere Plato et philosophi; unde Aristophanes: *ἀσπας*, inquit, *ἡμῶν ἀσπαστα* hoc est plasma, sive figmentum huius est homo; et Lucianus in *Pronetho* ait Minervam, quae est dea sapientiae, finxisse hominem implendo spiritu lulum, et plasmata, hoc est simulacra sua, et luto efflata formavit; et Cicero *Pro Albi*, de Catoe Juniore ait: « Finxit te ipsa natura ad honestatem, gravitatem, temperantiam, magnitudinem animi, iustitiam, ad omnes denique virtutes magnam hominem et excedenti. »

A Deo (concreveruntibus tamen ad materiam preparandam) angelli, ut dicit *Genes. 1 et 2*: « Deo jam deest in Graeco) PATER ORBIS TERRARUM. — Id est pater omnium terrigenarum, hoc est omnium hominum, qui ex terra formati, terre obtinuerunt sui ius et domini, itaque propter vos terra, totusque hic mundus corporeus a Deo productus est; denique tam Adam, quam quisque homo ex eo procreatus, est mundi imago, imo microcosmus, id est parvus mundus. Porro heretici paterniani, inquit S. Augustinus, lib. de *Hereticis* in 83, inferioribus

partes humani corporis, non a Deo, sed a diabolo factas opinantur, et omnium ex illis partibus flagitiorum licentiam tribuentes, impudenter vivunt: hos enim *paternianos* quidam vocant; verum haec est haeresis vetera. Ad litteram ergo pater orbis terrarum fuit Adam, a quo omnes homines rigentibus prognati sunt; mystice et Christianis, a quo omnes terrigenae redempti et regenerati sunt: rursus, patres tales sunt apostoli et viri apostolici, qui orbem ad Christum converterunt. Ab uno exemplo disce omnes:

Inter eos in Pentapoli Italiae, urbeque Fanensis (ita dicta a praeseo Fortune *7500*) emittit S. Paternianus, anno Domini 300, sub Diocletiano imperatore, qui patre Gvinio Paterno consule romano genitus, Diocletiani severitatem fugiens, angeli Raphaelis ducta, velut alter Tobias, in aliam semotam concessit, ibique cum multis assensu monastica exerevit; suumque ductorem emulatus, vixit purissime instar angeli, ac creatus abbas miram virtutum fragrantiam per totam illam Italiam oram sparsit; atque inter alia fortitudinis facinora, diabolum specie puella prosequens ad nefas sollicitantem, manum igni ardentem imponens, velut fulgur in diabolum inhorrens, eum fudit fugavitque. Insuper, dum rerum inopia cum monachis laboraret patricio Scopolianensi ab angelo monitus, iumenta civis incensa ad eosdem misit, quae, cum locus esset incognitus, angelo duce recta ad ipsam delata sunt. Miraculis perparibus claruit, claudis gressu, caecis visum, eurgemienis libertatem, sanitatemque restituit. Creatus Fanensis episcopus, qua verbo, qua exemplo, ac praesertim incensa in omnes claritate, velut pater omnium, solari singulos, hortari, instruere et ad salutem traducere saepegit: erat enim fide eximius, spe magnanimus, charitate flagrans, sapientia plenus, in eleemosynis largis, humilitate mollis, iustitia severus, sanctitate singularis; hinc factum ut omnes et clamarent: « Pater noster es tu, » Juxta illud *Eccl. ad Eliam, IV Reg. ii, 12*: « Pater mihi, pater mihi, currus Israel, et auriga ejus. » Quibus in laboribus pietatisque officio cum 40 annos sanctissime exegisset, ab angelo mortis tempus modicum edoctus, magno omnibus relicto sui desiderio, gloriosus ad Deum migravit die 13 novembrii, corpore suavem exhilante odore. Quocirca o celo paternum in suis Fanenses conservans affectum, persepe factiones ovium dissipavit, inimicitias extulit, pacem redintegravit, cedes impedit, pestem famemque depulit, quin et hostes profligavit, ac nominatum cum Urbinate Fanum obsidione circumisset anno Domini 317, hostes pontificali vultuque augusto spectandum se exturbens civibus animos addidit, hostesque tartore percussit, et in fugam egit; perinde ac S. Iacobus contra Hispaniam, S. Ambrosius Mediolanum a Conrado imperatore obsessum, S. Benedictus Nursiam, S. Faustinus et Jovita Braxiam ab ho-

stium incurso defenderunt et propugnaverunt. Sacrum ejus corpus, sepulcro ejus reserato anno Domini 1331, sub Julio III pontifice, post mille ducentos annos, repertum est integrum, vultu hilari et angelico, perinde ac si recenter sepulcrum fuisset traditum, miram undique fragrantiam spargens, cujus odore multi aegri sanitati restituti sunt: quocirca Fanenses imaginem ejus hoc epigramma supplices posuere:

O Pater, o cunctis nostris qui raptus ab oris,
Invidus visus cedere, mane redis.

Cum enim sacrum ejus corpus Forosempronien- ses pio furto sustulissent, illudque tota nocte curru Forum Sempronii versus vexissent, mane tamen eodem loco unde sublatum fuerat, inventum est. Ejus templum auxit et decoravit Justinianus imperator, ad quod dum more suo devotionis ergo contendit agricola, Argillam flumen sicco pede pertransit. Haec ex publicis Fanensium tabulis accipi, ac ingenti imagine expressa, Romae excusa et approbata conspexit. Basilica Sancti peramplius, tum praedictis, tum privilegiis, notata fuit a Zacharia aliusque summis pontificibus, ac a Frederico imperatore diruta, restituta ab Innocentio IV pontifice. Jure ergo S. Paternianus Italiae, imo orbis terrarum, pater spiritualis et celestis municipari potest.

CUM SOLUS ESSET: — Adam enim primo solus a Deo formatus est, deinde ex costa ejus fabricata est Eva, ut ex ea filios procrearet et genus humanum propagaret, quae proinde dicta est *mater viventium*; praesertim quia ex ea nascitura erat B. Virgo, quae Christum anclorem vite erat paritura: Christus enim ex femina, puta ex B. Virgine, Eve filia, natus est sine opera viri, ex virtute Spiritus Sancti.

CUSTODIVIT — Adamum in paradisi, tum quoad corpus, ne quo casu lederetur aut moretur, ut dixi; tum quoad animam, ne peccaret in statu innocentiae, antequam deciperetur ab aere, ac postquam ab ea deceptus peccavit, et innocentiam ac justitiam originalem deperdidit, custodivit eum ne plane interiret et damnaretur, sed gratiam et penitentiam ei suggestit, qua a peccato resurgeret et salvaretur. Unde sequitur:

ET EXTRAXIT ILLUM A DELICTO SUO. — Complutenses legunt *ἐξήλασε*, id est *exerxit*, extulit; alii, *ἐξήλασε*, id est *extraxit* vel *extraxit*, asserunt, aut *ἐξήλασε* enim a delicto et lapsu suo; Syrus, *liberavit eum a casu animae illius*; Arabicus, *et redemit eum a seditione ejus*. Hinc patet Adamum penitentiae de suo inobedientiae, qua pomum a sereno vitium comedit, peccato, ideoque illud ipsi esse remissum; imo veteres ex communi Ecclesiae traditione et consensu tradunt Adamum esse salvatum: quare tenerariis est id negare, et facere hoc Sapientiae locus. Haec omnia docet S. Augustinus, epist. 99 ad *Evodium*, ubi sic ait: « De primo homine, qui de generis humani, quod

Christus, cum descendit ad inferos, inde eum liberavit, Ecclesia fore tota consensit; quod cum non inaniter credidisse credendum est, undecumque hoc traditum sit, etiamsi canonicorum Scripturarum hic expressa non proferatur auctoritas. » Idem tradunt S. Irenaeus, lib. III, cap. xxxiv; Epiphanius, *haeresi 46*; S. Hilarius in *Psalm. cix*, et Canone VIII in *Matth.*; S. Hieronymus in *Psalm. xxviii*, et in *Matth. cap. xv*; Nazianzenus, *orat. in S. Cyprianum*; S. Athanasius, *serm. De cruce*; S. Basiliius, *Exhortat. ad baptismum*; Origenes, in cap. v *ad Roman.*; S. Thomas, lib. IV *Contra Gentes*, cap. LII et LIII; Hugo Victorinus in *Gen. cap. iii*, qui id probat ex illis Dei verbis, *Genes. iii, 15*: « inimicitias ponam inter te et mulierem, » etc.; ac ceteri unico excepto Ruperto in *Gen. cap. iii*, vers. 15, cui assentiantur veteres heretici, ut Tatianus, Saturnianus, Severus, Marcion, Valentianus, qui dixerunt Adamum esse damnatum, teste S. Epiphano, *haeresi 46*, et aliis. Addit S. Augustinus, lib. II *De Peccat. merit. cap. xxxiv* (et referunt *De Penitent. dist. 1*, cap. lxxxiii. *Sicut primi homines*), quem sequitur S. Anselmus, lib. *Cur Deus homo*, cap. xvi, de utroque peccato, hoc est de Eva reque ac Adamo, merito id credit. Probat id ipsum Irenaeus, lib. III, cap. xxxvi, et Tertullianus, lib. *De Patientia*, in fine, ex eo quod confessi sint peccatum, quodque induerint se perizoniis et follis ficulneis, quasi sacco et cilicio in signum penitentiae. Et S. Ambrosius asserit Adamum post culpam statim ejectione de paradiso, separatam a deliciis, et ut ageret penitentiam, vestitum tunicam pelliceam, non sericam. S. Chrysostomus id ipsum probat ex singulari amore, quo Deus ipse convenit lapsam et exeret. S. Gregorius, lib. VI, epist. 31 ad *Eulogium*, scribit Ade animam in peccato mortuam non a substantia vivendi, sed a qualitate vivendi; tamen postmodum per penitentiam ad vitam rediisse. Leo IX, cap. II *duo*, de Conser. dist. 1, reddit rationem cur *Gloria in excelsis et Alleluia* in Septuagesima intermittantur: quia, inquit, peccavit primus homo; cur in Paschate repetantur: Quoniam Christo resurgente resurrexit ille lapsus protoplastus. » S. Epiphanius quoque, *haeresi 46*: « Castigatione, inquit, non vulgari plexus est, et e regione paradisi in exsilium actus, quo memor esset domus vite per penitentiam in memoriam revocata. Quia et Hebraeorum sententia est, in quo diturnissimo exsilio Adamum se consolatum Paulus xxi: « Dominus regnavit, decorem indutus est, » etc., a se compositio.

Denique communis est Patrum sententia, Adamum in monte Calvariae esse sepultum, ut qui primus peccati fuerat auctor, primus viam sanguinis Christi in eodem crucifixi sentiens salvaretur: ita censent S. Athanasius, Origenes, Basiliius, Chrysostomus, Epiphanius, Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, et alii quos citat noster Pererius, lib. VII in *Gen. cap.*

XLVI. Porro quod objicit Rupertus, Adamum opoponi Christo, Rom. v, et alibi, quod Adam peccati, mortis et damnationis fuerit auctor, Christus vero gratie, vite et felicitatis eterne, verum est quoad initia Adæ quoad peccavit, non quoad sequentia, et præsertim exitum vite, quando per gratiam Christi illi promissi et ex illo nascituri, ponentem veniam et salutem consecutus est: decebat enim Deum, qui eum creaverat, non sinere opus suum, puta protoplastum periri, sed eum a lapsu elevare, renovare et quasi recreare. Decebat quoque Christum, qui ænus humanum redimere venerat, ut generis humani caput et patriarcham, ideoque suum quoque patrem, redimeret et salvaret, « ut, cum salvator homo, inquit S. Irenæus, lib. III, cap. XXIV, oporteat salvari eum qui prior formatus est homo; » unde Adamum a Christo descendente in limbum ex eo fuisse eductum, ac cum Christo resurrexisse, docent Origenes, tract. 33 in Math.; S. Athanasius, orat. de Passione; S. Augustinus, Quest. CLXI in Gen.; S. Macarius, homil. 11: vide Belarmanum, lib. III de Ammissione gratiæ et statu peccati, cap. ult., et Pererium, lib. VII in Gen. Narratur in historia passionis Christi, sub nomine Nicodemi, Christum in inferno, id est in limbo, manum Adam tenuisse et dixisse: « Pax tibi cum omnibus filiis tuis iustis meis; » Adamum vero respondisse Christi genibus advolutum cum lacrymis et voce magna (tamen nondum receperat corpus, imo non certo constat adhuc an receperit): « Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me: eduxisti ab inferis animam meam, salvasti me a descenditibus in lacum, » Psal. XXIV, 1 et seq. Verum hic Nicodemi liber est apocryphus. Complutenses et Regii, nec non Hugo, Lyranus et Dionysius hic addunt, et eduxit illum de limbo terræ; verum id ipsum delent Græci et Romani. Probabiliter suspicatur Franciscus Lucas in Notis hic verba hæc hoc modo irrepisse: Quispiam, inquit, pro illis verbis: « Et eduxit illum a delicto suo, » supposit, « et eduxit illum de limbo terræ; » conveniunt enim litteris delicto et de limbo, et in aliquibus libris legitur tantum, et eduxit illum de limbo terræ. Postea retulit alius utrumque in textum, nempe id quod jam dixi, et illud, et eduxit um a delicto suo.

ET DEDIT ILI VIRTUTEM CONTINENDI (SYRUS ET ABIEUS, tenendi) ONNIA. — scilicet suo dominio imperio: nam græce est κληρονομία, id est, omninandi omnibus, sicut rex dominans omnibus omnia continet arbitrio: Deus enim Adæ dedit potestatem in omnia animalia cæteraque terrena, juxta illud Genes. 1, 23: « Dominium piscibus maris, et volatilibus cæli, et universis animantibus, quas moventur super terram; » que potestas homini post peccatum reddita et renovata est, licet non ea plenitudine et perfectione, qua

data fuerat primitus Adæ, dum Deo post diluvium dixit Noe et filiis ejus, Genes. IX, 2: « Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terre, et super omnes volucres cæli, cum universis que moventur super terram: omnes pisces maris manus vestre tradidit sunt. »

Topologica, Deus dedit Adæ robur et vires æternas, id est superandi omnia vite pericula, adversa et tentamenta, que post peccatum eum undique invaserunt et quasi circumvallaverunt: ad illa enim vincenda, Deus illi gratiam et fortitudinem suggessit, quare immerito Rupertus, loco jam citato, auctorem hujus libri errasse dicit, eo quod Adæ tribuat virtutem continendi omnia, que soli Christo competit, ideoque librum hunc esse apocryphum: jam enim ex decreto Concilii Tridentini constat hunc librum esse Canonicum.

3. AB HAC UT RECESSIT INJUSTUS IN IRA SUA, PER IRAM HOMICIDI FRATERNI (male aliqui legunt, fraternalitatis; et alii, fraternalis) NEPERIT. — Græca est, ab hac (sapientia) apostolatus injustus (Cain), ad id quod dicitur, fraternalis, id est, fratricidialis simul deperit furoribus, indignationibus et furis: quia scilicet ira et furor Cain duos perdidit, nimirum Abelem cæde, et ipsum Cainum scelere, inquit Nannius: dum enim Cain Abelis corpus transfudit, suam ipsius animam confodit; inquit Philo, lib. Quod deterius potiori insiditur: insurrexit, ait, Cain in Abelem fratrem suum, et interfecit ipsum; prima quidem specie Abelem occisum subindicat; sin autem diligentiam rem expendas, ipsum Cain a seipso; proinde sic legendum, insurrexit Cain, et occidit seipsum, etc.: ita ipse more suo symbolice, non genuine ad litteram. Nam Cain mox a cæde Abel cepit eum jugi tremore et pavore velut furis agitatus hunc illuque vagari, omnibusque fuit abominabilis et execrabilis, ut tradunt Hebræi; unde videtur Cain in scelere perseverasse impenitens, ac ex uno in aliud corruisse, ideoque periisse, esseque damnatus. Addunt Paulus Burgensis, Dionysius et Oleaster in Genes. cap. IV, Cainum mersum esse diluvio tempore Noe; verum hoc est improbabile, sic enim Cain vivere debuisset plus mille et sexcentis annis: tot enim fluxere ab Adamo et Cain usque ad diluvium. Illud tamen verum est: posteros Cain patris sui homicidium imitantes, omnes periisse diluvio, ac proinde Cainum patrem ergo periisse, quia eo tota ipsius prosapia perit et extincta est; imo Cain suo scelere totum orbem perdidit diluvio, uti dicitur vers. 4, Sensus ergo est, q. d. Cain recedens a sapientia per iram, ex invidia in Abelem fratrem suum concitatum (quia scilicet respexit Dominus ad Abelam et ad munera ejus, ad Cainum autem et ad munera ejus non respexit) furore quo fratrem interfecit, et ipse perit, dum fraternæ charitatis jura violavit, et prior ipse mortem peccato in orbem inductam intulit fratri, quam ipsa natura, licet destitutus a sapientia fratrem interfecit.

fratrem suum horarum decedit fratricidii.

Ostendit sapientiam necessitatem et dignitatem a contrario, puta ex damnis insipientiæ: impij enim destituti sapientia, velut luce et duce, in gravissima scelera corruerunt; ejus rei exemplum est Cain primogenitus Adæ, qui per summam stultitiam fratrem suum Abelem non alia de causa occidit, quam quod Deus ejus innocentia et sacrificio fuerit delectatus, et, ut ait Joannes I Epist. III, 12: « Quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem justa; » unde Paulus, Hebr. XI, 4: « Fide, ait, plurimam hostiam Abel, quam Cain, obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse iustus, testimonium perhibente numeribus ejus vero, et per illam defunctus adhuc loquitur. » Refertur hæc historia fratricidii Cain. Genes. IV. Sicut ergo Romulus Roma conditor, Remum occidens, fraticida fuit: sic et primus Adæ filius, et primus urbis Henoch in orbe conditor, premo Abele, fraticida existit. Addit Cantacrenus Cainum simili necesse punitum fuisse, occisum enim esse eum casu a Lamech nepote suo in venatione, cum Lamech cœcipienti Tubalcain filius, Cainum sub herbis latitantem pro fera ostendisset, ideoque et ipsum Tubalcain a parte Lamech indignante interfectum; verum hæc habent parum probabilitatis, uti ostendi Genes. IV, 23: vide de scelerata vita Caini Josephum, I Antiq. cap. III; de infelici vero morte S. Ambrosium, lib. II de Caino, cap. IX et X, et S. Augustinum, serm. 104 De Temp.

4. PROPRIETATEM QUEM (Cain), CUM AQUA DELERET TERRAM, SANAVIT ITERUM SAPIENTIA, PER CONTEMPTIBILE LIGNUM JUSTUM GUBERNANS. — Græce, propter quem dimersum diluvio terram sapientia iterum servavit, cum justum exiguo ligno gubernasset; Origenes in Joannem tom. XX, vili ligno justum gubernans; alii, per vile lignum justo gubernato: græce enim est υρόδω, id est simplex, vile, tenue lignum, quod tanto diluvio et aquarum vi molique per se resistere non poterat, ideoque contemptibile, ut veritè Noster, præsertim quia homines illius ævi contemnebant arce fabricam, ac Noe ejus fabricatorem velut delirum deridebant: ita S. Bonaventura et Lyranus. Græca hic variant, nonnulla enim legunt δὲ ὄ, id est propter quem, scilicet Cain; alia δὲ ὄ, id est propter quod, scilicet scelus parricidii sive fratricidii Cain. Eodem ergo redit utraque lectio. Sensus est, q. d. Impius homicida, imo fraticida Cain, suo exemplo posteros ad idem scelus, cæteraque quelibet impulit; quo factum est ut Deus, tot tantaque horum scelera perosus, impiam gentem totumque orbem diluvio mererit; verum sapientia justum piumque Noe tunc servavit in arca, ut ipse esset seminarium humanæ posteritatis, ne illa diluvio toto interiret, sed per ejus filios et nepotes servaretur et propagaretur: vide dicta Genes. VI et seq. Hinc Origenes in Joannem, tom. XX, paulo post initium: « Quod vero, inquit, di-

luvium seminis Cain delendi causa factum fuerit, Sapientie liber Salomoni inscriptus hic verbis docet, Sapient. X, 4: « Recedens autem ab ipsa (sapientia) injustus in ira sua perit, cum animis fratricidis, per quem inundata terram versus servavit sapientia, vili ligno justum gubernans. » Est hoc tertium exemplum, idque geminum: per antithesin enim bifariam ostendit quanta sit utilitas sapientie, nam orbem perdidit insipientia et impietas Caini et posterorum ejus gigantum, inducendo diluvium: hunc servavit et restauravit sapientia et justitia Noe per arcam; unde nonnulli cum Jansenio illud Genes. IV, 13, de Caino dictum: « Septuplum punitur, » sic intelligunt, q. d. Deus differet Caini punishmentem usque in septimam generationem, tunc enim Caini posterum mensuram peccatorum ejus implebant, qui impleta Deus toti orbi inducit diluvium, ut eo impius cum implete submergatur. Cain ergo fuit dux, pater et princeps impiorum, ob quos Deus immitit diluvium. Audi Josephum, lib. I Antiq. cap. III: « Cæterum tantum abfuit ut hæc castigatione in melius vitam mutaverit, ut peior etiam sit factus, suis voluptatibus vel cum aliorum injuria indulgens, et facultates domesticas per vim ac rapinas accumulans, acies indecumque latrociniorum et nequitiæ sociis, magister illis ad facinorosam vitam est effectus. Ad hæc simplicem hæcenas vivendi rationem excogitatis mensuris et ponderibus immutavit, pristinamque sinceritatem et generositatem ignaram tallum artium, in novam quandam versutiam depravit. » Et post pauca: « Superstite etiam tum Adamo Caini soboles sceleratissima evasit, dum posterior quique fit deterior, nec solum imitatur piorum vitia, sed et sperat. »

Nota prima, quod sanavit, q. d. Cain cum posteris per diluvium vulnus pene lethale et irreparabile indixit toti orbi totique humano generi; sed sapientia huic vulnere manum medicam adhibuit, illudque sanavit servando Noe per contemptibile lignum, id est per vilem et exilium arce fabricam, ut ille esset pater novi mundi et sæculi, ac orbem pene deletum obrutumque ex suis ruinis et cineribus, velut phœnicem redivivum suscitaret. Hoc est quod de Noe inter ejus elogia recenset Ecclesiasticus, cap. XLIV, vers. 17: « Noe inventus est perfectus, justus, et in tempore iracundiæ factus est reconciliatus. Testamenta sæculi posita sunt apud illum, ne deleri possit diluvio omnis caro; » et Paulus, Hebr. XI, 7: « Fide Noe, responso accepto de iis quæ educebant non videbantur, metuens aplavit arcam in salutem domus suæ, per quam damnavit mundum, et justitiam, que per fidem est, heres est institutus: » vide ibi dicta. Porro S. Ambrosius, lib. I Offic. cap. XXV, Noe a quatuor virtutibus cardinalibus celebrat: « Noe, inquit, quam sapiens, qui tantam fabricavit arcam I quam justus, qui ad semen omnium reservatus, solus ex omnibus; et præterita generationis sa-

perses est factus, et auctor futurae, mundo potius et universis quam sibi natus! Quam fortis, ut diluvium vincere! quam temperans, ut diluvium toleraret! quando introiret, qua moderatione degeret, quando corvum, quando columbam demitteret, quando reciperet revertentes, quando exundi opportunitatem captaret, agnosceret! » Nota: *societas*, id est *gubernans*; Noe enim arca undique tecla erat inclusus, totusque penitentia a Dei providentia et gubernatione: quare non alius potuit esse arcae nauclerus et gubernator, quam Deus: audi S. Chrysostomum, hom. 21 in *Genes.*: « Annon, inquit, arcam hinc et illinc moveri, et non submergi a tanta aquarum vi, cum nullus esset gubernator, superius erat gratiae? non enim dicere potes quod fuerit ad modum navis, ut arce quadam illius iter dirigere potuerit (velis vel remis). Arca erat undequaque clausa et munita, cetero propter preceptum Conditoris, non solum eam ledere non potuit aquarum impetus, sed sublimior illis facta inhabitantes admodum securos fecit. » Similia habent S. Augustinus, lib. XV *De Civit.* cap. xxvii, et S. Ambrosius, lib. *De Arca et Noe*, cap. xxi. Simile exemplum senis naufragi, quem in navi fluctibus in varias oras iactatum mira providentia gubernavit Christus, narrat S. Paulinus epist. ad *Macerium*.

Tropologicae, simili cura Christus justum et electum quemlibet gubernat, ut per tot hujus vite procellas salvus enatet vel naviget ad portum salutis: quare justus dicitur cum Poeta:

Per tot discrimina rerum
Tentamus in caelum, seles tibi fata quietas
Ostendunt nobis.

Denique nota est iterum, q. d. Adam primo, perdidit orbem, dum peccavit, ac peccatum in omnes posteris transmisit: merebatur enim ipse cum omnibus posteris a Deo perdi et occidi, sed sapientia divina bonitas eum a peccato eduxit, ac posteris de Christo salvatore providit: secundo, Cain cum posteris orbem perdidit diluvio, sed iterum eum salvavit sapientia, per Noe diluvium superans, et orbem restaurans.

5. HEC ET IN CONSENSU NEQUITIE (aliqui legunt, *superbiae*) CUM SE NATIONES CONTULISSENT (alii legunt *extulissent*; aliqui, *confulissent*), SCIVIT JUSTUM, ET CONSERVAVIT SINE QUERELA DEO, ET IN FILII MISERICORDIA FORTEM CUSTODIVIT. — Pro *tyro*, id est *scivit*, aliqui legunt *tyro*, id est *invenit*. Pro *sine querela* graeco est, *ἀμετρον*, id est *inculpatum*, idque *Deo*, qui scilicet adeo erat integer vite scelerisque purus, ut ne Deus quidem in eo aliquid crimen notare et culpae posset. Pro *cum se nationes contulissent*, graeco est, *ὁμοσυνέβησαν*, id est, *cum se gentes confulissent*, id est commisit, conjunxissent, conspiravissent, scilicet ad edificandam turrim Babel, duce et instigatore Nemrod, primo *ortus* rege et tyranno, ut scilicet

hac turri altissima a diluvio, si quando rursus ingrueret, se defendere, ut vult Josephus; aut potius, ut Nemrod superbus ibi regni et tyrannidis suae arcem locaret, ex qua in omnes dominari, omnesque sibi subjectos continere et coercere posset, ait Hugo Victorinus in *Genes.*, ipse ex qua ipse in caelum conscendere, ac contra Deum se defendere posset, ut indicat S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* cap. iv; unde poeta fabulati sunt Titanes, cum Jove pugnant, montes montibus imposuisse, ut in caelum conscenderent, juxta illud Virgillii, I *Georg.*:

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam:
Ter pater extructos disiecit Iunone montes.

Tunc Deus a scribit (id est cognovit, amavit, et conservavit) justum sine querela, ut superbia, atheismo et tyrannidi Nemrod et fabrorum turris Babel, non consentiret, sed in Dei fide et cultu fidelis persisteret; unde Deus illum unum sibi delegit, cum reliquos omnes avertisset. Morum linguas confudit, itaque fabricam Babel impedivit, fabrosque per totum orbem dispersit: lingua ergo puniti sunt, quia lingua peccaverant: nam, ut ait S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* cap. iv: « Quoniam dominatio imperantis in lingua est, ibi damnata est superbia, ut non intelligeretur iudicis homini, qui noluit intelligere, ut obediret Deo: sic illa conspiratio dissoluta est. »

Quaeres quis fuerit hic justus? nonnulli putant fuisse Heber, illius enim aevo facta est fabrica turris Babel; unde ipse filium tunc natum vocavit *Phaleg*, id est *divisio*, eo quod tunc a Deo fabrorum Babel confusa et divisae sint linguae; sine S. Augustinus, lib. XI *De Civit.* cap. xi, docet Heber immunem fuisse ab impietate fabrorum horum, et consequenter a confusione linguarum, ideoque ipsum cum vera Dei fide et pietate pristinam linguam retinuisse, quae proinde ab Heber dicta sit *hebraea*. Verum quod sequitur: « Et in filii misericordia fortem custodivit, » clare notat Abraham, non Heber: quare nonnulli putant hic notari bellum Abrahae, quod gessit contra quatuor reges totidem gentium, cum iis caesa liberavit Lot, *Genes.* xiv, 14. Melius alii referunt ad vocationem Abrahami, quando, omnibus gentibus ad idololatriam dellectentibus, Deus eum erexit ex Ur Chaldaeorum in Chanaan, ut ibi sibi soli serviret. Haec gentium a Deo apostatae, et defecit ad idola, cepit in fabrica turris Babel, qua facta est sub annum centesimum, vel potius centesimum septuagesimum, a diluvio, ac deinde in dies crevit et propagata est usque ad Abrahamum, qui natus est anno 292 a diluvio: quare alludit hic ad fabricam Babel, sed per eam designat etiam idololatriam, qua tunc cepit et duravit per multa saecula, a qua Deus Abrahamum ejusque posteros evocavit, et sibi in populum fidelem, suamque Ecclesiam et synagogam separavit: alludit enim ad illud, *Genes.* xv, 7:

« Ego (sum) Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldaeorum; » vide *Judith.* v, 7. Unde colligit Abrahamum nunquam coluisse idola, licet id opinetur S. Chrysostomus, sed semper Deum verum, nisi pluribus ostendi *Genes.* xi, 26. Addunt Hebraei in *Seder olam* fabricam turris Babel factam esse ultimo anno vite Phaleg, qui fuit annus a diluvio trecentessimus et quadragesimus (vixit enim Phaleg 239 annis, *Genes.* xi, 18), quo anno Abraham, utpote natus anno 292 a diluvio, jam erat 48 annorum: quare aiunt Abraham aequae ac Noe, qui tunc adhuc vivebat, interfuisse fabricae turris Babel: Heber enim indidisse filio nomen Phaleg spiritu prophetico, quo providebat sub finem vite ejus fabricandam turrim Babel, ideoque dividendas linguas: haec Hebraei. Verum verius est turrim Babel fabricatam fuisse anno centesimo, ut vult S. Augustinus, vel potius anno centesimo septuagesimo a diluvio, ob rationes quas attulit *Genes.* x, 25: quare fabrica haec 122 annis precessit natalem Abraham.

ET IN FILII MISERICORDIA FORTEM CUSTODIVIT: — ita legendum cum Romanis et Graecis, quare minus recte Complutenses legunt, et in *filii misericordiam fortem custodivit*; alii, et in *filii misericordiam fortem custodivit*, q. d. *Primo*, Deus postquam confusione linguarum punivisset impios fabros Babel, a seivit sibi Abrahamum, suamque gratiam et misericordiam in ejus posteros firmam stabilemque conservavit: ita Lyranus, Hugo, Holes et Dionysius; verum legendum est cum Romanis, in *filii misericordia*; graeco, *ἐν τῆς ἐλεησεως ἐλεησι*, id est in *filii visceribus*, quod nonnulli sic exponunt, q. d. Deus Abrahamum eo affectu complexus est, quo pater solet filium prosequi; Deus ob intimam et visceralem erga Abrahamum, quasi filium suum, amorem, fecit eum resistere peccatoribus undequaque circumfusis, eumque ad sceleris communionem tentantibus; unde Valerius verit, et ut *erga filium amicum, conservavit constantem*. Sic Apostolus ait, *Philip.* cap. i, 8: « Testis mihi est Deus quomodo cupiam vos in visceribus Jesu Christi, » quod scilicet vos diligam eo affectu, quo Christus vos « in visceribus, » id est intimo, diligit.

Sermo et genuina, q. d. Deus Deique sapientia effect et Abraham fortiter vinceret visceralem amorem et commiserationem erga filium suum Isaac, quando Deo jubente eum immolare voluit, *Genes.* xxii, 10, vide ibi dicta: Abraham enim ex inditis visceribus diligebat Isaacum; unde summa commiseratione commota sunt ejus viscera, cum jussus est eum mactare, sed fortitudo obedientiae et amoris divini vicit omnem amorem et commiserationem humanam, etiam filii unigeniti, qualis erat Isaac. Magno enim animi robore opus fuit Abrahae, ut immolaret filium unicum per miraculum natum, totamque suam spem posteritatis: Deus enim promiserat Abrahae propagandam ejus posteritatem per Isaac, ex

eoque nasciturum Christum: quare Abraham « contra spem » naturae « in spem » gratiae et promissionis divinae « credidit, » scilicet ex Isaac a se immolato nasciturum sibi prolem a Deo promissam; credebat enim Deum Isaac a morte suscitaturum, *Rom.* iv, 18; *Hebr.* xi, 19. Annus haec fuit magna fortitudo fidei et obedientiae; hinc Abraham a S. Ambrosio vocatur « pater fidei, pater omnium credentium, princeps familiae gentium et generationis Domini, pater electionis et piae confessionis. » Unde rhalo, lib. *De Abraham*, ejus virtutem et robur longe extollit super omnes gentiles, qui se aut suorum amore parentum vel patrie morti obtulerunt, aut devoverunt, uti fecere Codrus rex Athenarum, Mancepsus, Aristogiton, Iphigenia, Leonidas, Epaminondas, Junius Brutus, et alii: hic enim partim ex vana gloria studio, partim invidi et coetivi, ad graviora mala cavenda id fecerunt; at Abraham non coactus, sed sponte et ultro, unius Dei amore, ut ejus voluntati satisfaceret, suum Isaacum propria manu jugulare, mactare et concremare Deo destinabat. Quocirca vere de Bruto primo *Romae* consul, filios, eo quod cum Tarniis contra republicam conspirasset, ad mortem condemnante cecinit Virgilius, VI *Aeneid.*:

Vicit suorum patriae, ita dumque immensa cupido
Infelix, ut omnia feceret ex fata minoris.

Secus fuit in Abraham, qui vicit amorem filii robore amoris divini; unde mira ejus est misericordia et fortitudo harmonia digna est, qua magnis laudibus celebratur: nam filium sine misericordia jugulare tyrannicum esset, imo et belinum; sine obedientia illesum custodire, impium esset et penitus injustum; utrumque vero conjungere, et cum misericordia erga filium obedientiam erga Deum conciliare, fortis ac generosi animi indicium singulari. Qua de causa Deus hanc Abrahae in obediendo fortitudinem quasi admiratus, cum juramento ei promissit, *Genes.* xxii, 18: « Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia fecisti hanc rem, et non perperisti filio tuo unigenito propter me. »

Quocirca S. Ambrosius, lib. II *De Cain et Abel*, cap. 1, de hac oblatione Abrahae fortitudinem sic scribit: « Quem (Isaac) sacrificii modo obtulit pater nullius motu passionis inflexus humanae, mundam offerens Deo hostiam, vacuumque formidinis, et corporeae cupiditatis immovum, cum ipsa pietas patris devotioni cederet itum *Amicus*, » q. d. Devotio Abrahae erga Deum vicit pietatem erga filium Isaac, ut eum pro Deo immolare destinaret. Idem, lib. I *Offic.* cap. xxv: « Adverte, ait, hic omnes virtutes quatuor in uno facto. Fuit sapientia, Deo credere, nec filii gratiam antefere auctoris precepto; fuit justitia, acceptum reddere; fuit fortitudo, appetitum ratione cohibere, Ducebat hostiam pater, interrogabat filius, tentabatur affectus patris, sed non vincebatur.

Repetebat filius appellationem paternam, contumeliosam paterna viscera, sed non imitabat devotionem. Accedit et quarta virtus temperantia: tenebat iustus et pietatis modum, et executionis ordinem. Denique, dum sacrificio necessaria vellet, dum ignem adoleat, dum filium ligat, dum gladium educit, hoc immolandi ordine moritur ut filium reservaret. » Et S. Augustinus, serm. 73 *De Tempore*: « liliarius, inquit, accingebatur, qui nec timorem facioris formidavit, nec implere quod iussus est degener animus dubitavit: spes illa futura tot gentium iubetur occidi paterna manu. Devotus pater eo voto suscepti parricidium, quo susceperat filium: nec refert utrum impendat, aut perdat, dum quoquo modo quod acceperat reddat. O Domine piissime, quem scis patri dilectum, quid imperas victimandum? » et post nonnulla: « Videle, fratres, Abraham patientia fortem, devotione constantem, non cum aliqua fera luculentem, sed cum natura pugnantem. Devoto dicebat: Percute; pietas clamabat: Parce; illa revocabat, ista provocabat. Filius tunc moriturus iacebat, erigit dexteram feriturus. »

Paulo aliter verit Syrus, et *Abraham filium misericordiarum* (id est summe misericordem) custodivit: Deus enim misericordes tuetur et custodit; unde Abraham, et custodivit eum in clementia, vel pietate illius in filium suum, q. d. Deus Abrahamum ob pietatem in filium, quem tenerrime amabat, custodivit, ut, dum iussa Dei vellet eum immolare, cum tamen actum non immolaret, siogue et filium patri, et patrem. Non a morte servavit et custodivit, dum per angelum stitit eius manum et gladium, ac præceptum de immolando filio revocavit.

Allegorie, in *visceribus filii*, id est per viscera Christi Abraham filii: ejus enim meritis, ejus misericordia viscerali præstitum est Abraham, ut sum Isaacum Christi antitypum, Deo fortiter immolare vellet: ita a Castro. Est hoc tertium sapientie exemplum editum in Abrahamo; sequitur quartum editum in Lot et Pentapolitis.

6. HEC JUSTUM (Lot) A PERRENTIBUS IMPIS LIBERAVIT FUGIENTEM, DESCENDENTE IGNE IN PENTAPOLIM. — Celebrat liberationem Lot, qua, dum igne sulphureo, et quasi fulmineo siderata conflagraret Pentapolis ob ejus scelera, præsertim libidinis contra naturam, ipse castus justusque per angelos hoc incendio eductus et liberatus est. Pentapolis vocabatur illa regio, quia erant in ea quinque civitates, scilicet Sodoma, Gomorra, Adama, Sebom et Segor, licet ultima Segor parvum sit a Deo, ob præceptum Lot in eam confugientis. Jam tota Pentapolis versa est in Mare Salsum sive Mortuum, quod a bituminis copia vocatur Lacus Asphaltites: vide dicta *Genes. XIX, 24*; Pentapolis ergo græce idem est quod latine quinque urbes, sive regio completens quinque urbes. Porro Pentapoles in variis orbis partibus fere

varie: prima hæc fuit in Palestina, cujus quinque urbes infanda libidine infames, ideoque creles igne cremate, fuisse jam nominata. Secunda fuit in Africa, de qua Plinius, lib. V, cap. v, in qua celebraverunt Concilium anno Domini 411 episcopi quinque urbium, scilicet Berenice, Arsinoe, Ptolemaidis, Apolloniæ et Cyrenæ. Tertia, Ptolemæus, lib. V, aliam Pentapolim ponit, cujus quinque urbes recenset, Laodicæam, Antiochiam, Amasem, Ptolemaidem, Palmiram. Quarto, in Concilio Ephesino invenitur Zenobius episcopus Barre civitatis in Pentapoli. Quinto, Italia Pentapolis fuit in Umbria, pta in Gallia Senonium, sive agro Gallico ad Mare Adriaticum, testibus Reginoue, Paulo diacono, Nicophoro ac Sigonio, libro *De Rejn. Italiae*, cujus quinque urbes sunt, Ancona, Senogallia, Fanum, Pisurnum, Ariminum. Et quia Fanum erat medietulum ceterarum quatuor, hinc ea in urbe erat supremum tribunal hujus Pentapolis, quo proinde dicta est *Urbs juris*, pro quo corrupte nonnulli legunt *uris*, cujus episopi sanctitate celebres, ideoque titulares fuere S. Paternianus anno Domini 300, S. Eusebius anno Domini 800, sub Symonacho Pontifice, S. Fortunatus anno Domini 592, S. Ursus anno Domini 625, cujus festum Panenses celebrant 15 maii: quod dum spernit agricolæ nomine Leo, monitusque superbe obstrere: « Si ille est Ursus, ego sum Leo (vel, ut alii verius, ego sum canis) », terra dehiscens, vivus cum bobus et aratro absorptus est: voraginis vestigium in hodiernum diem exstat in villa dicta de *Bellocchi*.

DESCENDENTE IGNE. — ut Pentapolim, qui arant libidine, arderent igne, utque terra adeo nequam cremaretur, ne quod malum semen in ea restaret, quod fructum perversum germinaret; unde Origenes in *Joan.* tom. XX, citans hunc locum, Sodome conflagationem magis tribuit bonitati, quam iræ Dei: « At certe, ait, Dei boni officium fuit Sodomorum terram delere, et quiddid relietum fuisset ex ea humiditate, arefaciendo, ne in posterum oriretur vis Sodomorum, neque malleolus Gomorrae, neque uva iræ, neque botrus amaritudinalis, ac ne vinum quidem, furor draconum, et venenum aspidum insanabile. Simile quiddam dices etiam de Ægyptiis, de quibus dictum est, *Psalm. LXXVII, 47*: *Oecidit in grandine vineas eorum, et moros eorum in pruina*: boni enim Dei est interficere vineas Ægyptiorum, et moros impiorum. »

7. QUIBUS IN TESTIMONIUM NEQUITIE FUNGEBANDA CONSTAT DESERTA TERRA, ET INCERTO TEMPORE FRUCTUS HABENTES ARBORES, ET INCREDIBILIS ANIMÆ MEMORIA STANS FIGMENTUM SALIS. — Triplex profert impiorum Pentapolitanorum nequitia, æque ad divinam in eos vindictæ testimonia, quæ permanent et permanent usque in hodiernum diem, ut divinam in impios iram mortalibus testentur, eosque a secleribus absterreant. Primum est terra *deserta fumigans*, hic enim fumus iudicii Dei ut

se acsi, puta incendii, quo conflagravit Pentapolis, innox est, ac symbolum incendii infernalis, quo ardent Sodomite cæterique impii. Sensus ergo est, q. d. In Pentapolitanorum secleris vindictam et testimonium constat, id est exstat terra eorum in solitudinem reducta, quæ etiamnum fumigat, quasi ignis et celo pluvii, quo deflagravit, reliquias adhuc servans: exhalat enim continuatum fumum et sulphur, ut ait Philo, lib. *De Abraham*: exhalat, inquam, tum mare Mortuum, sive lacus Asphaltites, tum terra illi adiacens et vicinia, uti mox ostendam; unde Borchardus, lib. I *Histor.* cap. v et vi: « Mare Mortuum, ait, semper est fumans et tenebrosus, quasi os inferni, sicut oculis meis aspexi, ob tetrum vaporem inde fumantem, qui quocumque deferente vento peringat, exacta sterile facit. » Pentapolis ergo est umbra et imago gehennæ. Spectate eam, pæderastæ, ac in ea, quod vos manet supplicium intuemini. Discite munditiam moniti, ac horrere Tonantem.

Secundum est, *incerto tempore fructus habentes arbores*: græco, *ἀρίστην ὄψην ἀσπράσσειν* quæ, id est *imperfectis temporibus fructus ferentes planta*; *ὄψα ἀρίστη*; dicuntur tempora frugum inchoata, nunquam perfecta; plantæ ergo Pentapoleos ita semper se habent, ac si nunquam esset certum tempusque maturis frugibus tempus, id est ferunt fructus, qui nunquam ad maturitatem perveniunt. Terra enim a Deo maledicta vim maturandi non habet; unde aliqui vertunt, *imperfecta maturitate fructus ferentes planta*: quæ enim significat tempusque maturitatis, sive tempus maturandis frugibus a natura destinatum, quod in Pentapoli semper est imperfectum, id est intempusivum et immaturum, ideoque semper producti fructus immaturos, imperfectos, ac nequam plene formatos. Unde Origenes, tom. XX in *Joanem*, habet, et *planta intempusivum fructus ferentes*; sic et Vatablus noster vertit, *incerto tempore*, quia nullum certum tempus est, quo in Pentapoli fructus maturescant, ut fit in aliis regionibus, quia semper sunt immaturi. Fructus ergo incerti temporis sunt intempusivi et immaturi: nam fructus qui certo et a natura statuto tempore, v. g. in autumno non maturescunt, nunquam maturescunt: ad maturationem enim requiritur calor, sed temperatus; calore caret hiems, temperie æstas: quare hiems fructus maturare nequit; æstas vero eos non maturat, sed adurit. Unde Arabicus ait, et *planta ejus fructificabant in temporibus fructus imperfectos*; Syrus, et *arbores quæ sunt intra eas civitates, fructus non faciunt*. Nota Pentapolim, quæ olim erat amenissima et fertilissima, ut vocaretur Paradisus Dei, post scelera et ultionem Dei versam esse, partim in lacum Asphaltitem sive Mare Mortuum, partim in terram exustam, in qua, ut ait Josephus, lib. V *De Bello*, cap. v: « Adhuc divini ignis reliquias, et oppidorum quinque videre licet imagines, et

renascentes in fructibus cineres, qui colore quidem sunt edulibus similes, carpentium vero manibus in fumum dissolvuntur et cinerem. » Item tradunt Solinus, Polyhistor, cap. XXXVII, et Tacitus, lib. V *Histor.*, ac Tertullianus in *Carmine de Sodoma* et S. Augustinus, XXI *De Civit.* cap. VIII. Denique Jansenius ex Græco clare vertit, et *imperfecta vel inconsummata pulchritudine et maturitate fructificantes arbores*: quæ enim hic, inquit, non tam tempus significat, quam *pulchritudinem et maturitatem*; unde *ὄψα*, id est *pulcher vel maturus*.

Tertium est, « incredibilis (græce *ἀνορέσιμος*, est *incredula*) animæ memoria, (græce *μνηστικός*, est *monumentum*,) stans figmentum salis; » græce *σῶν*, id est *coluana salis*, vel simulacrum salis aut titulus salis, uti sunt lapides titulares, qui memoriam persone vel rei alicujus eriguntur. Designat uxorem Lot, quæ cum eo fugiens e Sodoma, ac contra præceptum angeli curiose respiciens retro, ut conflagentem Sodomam aspiceret, ob incredulitatem et inobedientiam versa est in statuum salis, metallici scilicet, quod imbris resistit, et soliditate sua redditus est utilis, teste Plinio. Vocatur *incredula*, quia non creditit quidquam referre ad incoluntiam et salutem suam, si respiceret retro, necne. Jussert autem Deus per angelum, non retro respiceret, tum ad obedientiam ejus exsecrandam; tum ut citius fugeret a Sodoma, tum ut omnem misericordiam, communionem et memoriam impiissimorum Sodomitarum ei adimeret. Hinc liquet statuum hanc superfuisse tempore Salomonis, imo Josephus eam se vidisse docet, lib. I *Antiq.* Quin et etiamnum eam exstare inter Engaddi et Mare Mortuum docent oculati testes Borchardus, Bredenhachius, Saligniacus, et ex his Adrichomius in *Descript. Terræ Sanctæ*. Addit Tertullianus in *Carmine de Sodoma*, duo de statua hac rara inaudita:

1. Quin etiam si quis mutilaverit aivna formam, Protinus ex sese suggestu vulnera complet.
2. Dicitur et vivens alio jam corpore sexus, Mutilicos solito dispungere sanguine menses.

q. d. Patitur menstrua more mulierum. Sapienter S. Prosper, lib. I *De Prædict.* et *Promiss.* cap. XVI: « Hæc salis statua, inquit, suo exemplo fatuos condivit, in proposito sancto, quo tendunt proficientes, noxia curiositate retro non debere respicere. » Eandem causam cur in sal potius, quam in quid aliud sit versa, dat Rupertus. Et S. Augustinus, serm. 29 *De Verbis Domini secundum Lucam*: « Nihil ergo, inquit, tam inimicum spei quam retro respicere, id est, in eis rebus quæ præterlabuntur et transeunt, spem ponere; sed in his quæ nondum date sunt, sed dandæ quandoque, quæ nunquam transibunt, non sperare. Quando autem scætet tentationibus mundus velut pluvia Sodome sulphurea, metendum est exemplum uxoris Lot: retro enim respexit, et ubi respexit, ibi remansit in salem conversa est, ut prudentes

cedit ex implo. » Deinde spem comparans ovo, ex quo speratur pullus, qui nondum est: « Ovo tuo, inquit, scorpionum time; vide, quia de cauda percussit, quam retro habet; non ergo perimat scorpionum tuum, mundus iste spem tuam, etc., ut retro respicias, id est, ut in rebus presentibus spem ponas, et ab eo quod promisit Christus, et nondum dedit, sed, quia fidelis est, dabit, avertas animum tuum. » Plura de Pentapolis strage dixi Genes. XIX, 24.

8. SAPIENTIAM ENIM PRÆTEREUNTES NON TANTUM IN HOC LAPSI SUNT UT IGNORARENT BONA, SED ET INSPICIENTE SUE RELIQUERUNT HOMINIBUS MEMORIAM, UT IN HIS QUÆ PECCAVERUNT, NEC LATERE POTUISSENT, — id est possent. Pro *prætereuntes* græce est, *παροδύσαντες*, id est *ex sua viam excurrentes*, exorbitantes, scilicet a sapientia. Pro *lapsi sunt*, græce est, *ἐκπίπτουσιν*, id est *lasi sunt*, damnam incurserunt, in detrimentum lapsi sunt, « ut ignorarent bona, » græce *κατά*, id est *honesta*, item utilia et jucunda honestis annexa. Sensus est, q. d. Impii Pentapolite cœterique eis similes sua insipientia duplex sibi damnam accersiverunt, prius, quod vera bona virtutis, ac consequentis ex ea felicitatis et gloriæ, ignoraverint, ideoque in scelera Deique vindictam acerrimam inciderint; posterius est publicum dedecus et infamia, quod scilicet eorum scelera latere non possint, sed statuta sint in publicum toti mundo paradigma et exemplum, per monumenta vindictæ, quæ Deus superesse totique orbi ostentare voluit, ut eorum exemplo cœteri sapiant, ac Deum timeant, et ab ejus offensâ se coercerent.

9. SAPIENTIA AUTEM HOS, QUI SE OBSERVANT, A DOLOREBUS (græce *ἀπὸ πόνου*, a laboribus, sed labores post lapsam hominis sunt dolorosi, æque ac dolore laboriosi) LIBERAVIT. — Pro *qui se observant* græce est, *ἐπεσκοποῦντες ἑαυτοὺς*, id est, *religiose vitam colentes et venerantes*; unde a S. Diogenio, *De Eccles. hierarch.*, religiosi et monachi vocantur *ἐπεσκοποῦντες*, quasi *religiosi Dei uniti cultores*, totique ejus obsequio addicti: sapientia enim sacra est, utpote divina, imo idem eum Deo; sacrum ergo et divinum cultum sibi deposcit. Est antithesis, q. d. Sapientia suos desertores, v. g. Sodomitas, castigavit, ac suos cultores, ut Lot, ab ærumnis mælisque liberavit. Hæcque protulit exempla Cainitarum, qui suis scelibus diluvii causa existere et Pentapolitanorum, qui suis libidibus incendium a coelis in se provocaverunt, quæ sunt exempla vindictæ, quam exerevit sapientia in sui contemptores. Deinceps vero proferit exempla proborum, qui sapientie obsequentes et devoti, per eam a malis liberati sunt, ac bonis ditati. Primus eorum est Jacob, de quo subdit:

10. HÆC PROPUGNAVIT IRÆ (ab ira, ob iram) FRATRES JUSTUM DEDUXIT PER VIAS RECTAS, ET OSTENDIT ILLI REGNUM DEI, ET DEDIT ILLI SCIENTIAM SANCTORUM: MONSTRAVIT ILLUM IN LABORIBUS, ET COMPLEVIT LABORES ILLIUS, — q. d. Sapientia Jacobum fugientem

terram fratris, dum scilicet fugeret fratrem Esau, sibi ob præreplam patris Isaac benedictionem infensum et iratum, recta deduxit ad pacem et felicitatem: deduxit enim eum ad domum Laban avunculi sui, ubi et opibus, et uxoris, et proli-bus locupletatus est: quare fecit ut Jacob tantum iter, quantum est ex Chanaan in Mesopotamiam, ubi habitabat Laban, per tot pericula, anfractus, difficultates et insidias, quas illi parabat Esau, illesus et securus perageret: nam *semittis*, ut habent Græci, *rectis*, id est securis, tutis, facilibus, expeditis, deduxit eum ad suos amicos et cognatos, juxta id quod et pollicitus erat Deus Genes. XVIII, 13: « Et ero custos tuis quocumque perrexeris, et reducam te in terram hanc: nec dimittam nisi complevero universa quæ dixi. » Vox ergo *deduxit per vias rectas* significat singularem et continuam Dei curam et providentiam, quæ Jacobum per vias omnes tam difficiles et periculosas, necubi laberetur, caperetur, etc., solum, vegetum et letum perduxit ad suos; perinde ac mater deducit infantem, et pædagogus discipulum, per vias lutosas et salebrosas tutum et incolumem. Quocirca S. Ambrosius, lib. I. *Offic. cap. XXI*, Jacobum ab omnibus quatuor virtutibus cardinalibus dilaudat: « Quid, inquit, sapientissimus S. Jacob, qui Deum vidit facie ad faciem, et meruit benedictionem? Quid justus, qui ea quæ acquisierat, oblatis muneribus, eum fratre divisit? Quid fortis, qui cum Deo luctatus est? Quid modestus, qui modestiam ita et locis et temporibus deferebat, ut filie injuriam mallet prætereire conjugio quam vindicare, eo quod inter alienos positus amori potius consulendum, quam odia colligenda censebat. »

Tropologie, S. Bernardus, *serm. in hæc Sap. verba*: « Justam deduxit Dominus, inquit, et non alius, quia ipsius est de via iniquitatis ad viam veritatis reducere, et declinare et ducere per eam. *Per vias*, inquit *rectas*: via Domini, via recta, via pulchra, via plana, via plana: *recta* sine errore, quia ducunt ad vilam; *pulchra* sine sordibus, quia docent munditiam; *plana* multitudine, quia totus jam mundus est intra Christi sagenam; *plana* sine difficultate, quia donant suavitate: jugum enim ejus suave est, et onus ejus leve. »

ET OSTENDIT ILLI REGNUM DEI. — Cum scilicet Jacob, ut dicitur Genes. XXVIII, 12, « vidit in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cælum; angelos quoque ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ dicentem sibi, etc. » Benedicentur in te et in semine tuo cunctæ tribus terræ, et ero custos tuus quocumque perrexeris. « Quia visio significabatur Deum curare res Jacob, eamque singulari sua providentia per angelos ducturam in Mesopotamiam, indeque salvam reducturam in Chanaan. *Regnum Dei* ergo vocat cælum, in quo seale innixus consistebat Deus; Deus enim in cælo regnat, regitque omnia cælo subjecta per

angelos. Scala ergo hæc erat symbolum regnantis et regentis omnia Dei; unde rursus « ostendit illi regnum Dei, » id est regimen Dei, q. d. Ostendit ei modum regendi Dei, quo scilicet Deus a cælo sua providentia, per angelos cunctos et redeuntes, subiectionem hunc mundum regit et administrat; hinc Jacob ait, Genes. XXVIII, 17: « Quam terribilis est locus iste? non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cæli; » unde et locum vocavit *Bethel*, id est *domus Dei*. Quocirca nonnulli putant tunc Jacobo a Deo revelatum fuisse suam prædestinationem et electionem ad cœlestem gloriam. Vide dicta Genes. XXVIII, 78. Hinc Arabicus vertit, *fecit illum hereditare regnum Dei*.

Allegorice S. Augustinus, *serm. 79 De Temp.*: « Scala, inquit, ad cælos attingens, crucis figuram subdit. Dominus innixus scalæ, Christus crucifixus ostenditur. Angeli ascendentes et descendentes per eam, apostoli et apostolici viri, et omnes doctores Ecclesiarum intelliguntur; ascendentes, quando perfectis perfecta prædicant; descendentes, quando parvulis et imperitis simplicia quæ intelligere possint, insinuant. »

Tropologie S. Bernardus, loco jam citato: *Et ostendit illi regnum Dei*: « regnum, inquit, Dei conceditur, promittitur, ostenditur, percipitur. *Conceditur* in prædestinatione, *promittitur* in vocatione, *ostenditur* in justificatione, in glorificatione *percipitur*; unde est illud *Marc. xxi, 34*: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum Dei*: sic enim ait Apostolus, *Rom. viii, 30*: *Quos prædestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, illos et justificavit: quos autem justificavit, illos et magnificavit*. In prædestinatione est gratia, in vocatione potentia, in justificatione lætitia, in magnificatione est gloria. »

ET DEDIT ILLI SCIENTIAM (græce *ἐπιστήμη*, id est *co-gitationem*) SANCTORUM — in neutro genere, id est rerum sanctarum; vel *sanctorum*, scilicet mysteriorum Dei: Jacob enim in illa visione scalæ, quasi in raptu mentis illuminatus a Deo, multa cognovit divina mysteria, præsertim Dei providentiam, quam habet erga suos, concernentia; unde tunc ei, id est posteris ejus, a Deo promissa est possessio terræ Chanaan, filiorum ac nepotum propagatio, imo Christus ex semine ejus nasciturus, qui benedicetur erat omnes gentes, ut patet Genes. XXVIII, 13: quare Jacob hæc revelatione excitatus fuit ad pietatem, sanctitatem, atque ad Deum toto corde amandum et colendum, unde ibidem altare Deo erexit, illicque votum decimarum inæsupavit, ac locum ingendo oleo Deo consecravit, vocavitque *Bethel*, id est *domus Dei*, ubi proinde postori Deum magna veneratione colerunt; hinc Syrus vertit, *dedit illi scientiam veritatis*, id est veræ justitiæ, religionis et sanctorum.

Moniter, discit scientiam sanctorum esse scientiam practicam, qua quis studet Deo per omnia servare et placere: hæc enim est scientia, non

mundanorum, non politicorum, non etiam philosophorum, nec theologorum, sed *sanctorum*, quam primus docuit Joannes Baptistæ, *Luce. i, 17*, qui a Deo missus est, et converteret corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam. « Audi S. Bernardus loco jam citato: *Scientia sanctorum* est hic temporaliter cruciata, et delectari in æternam; et in contrarium scientia malorum relabatur. Alia est scientia mundi, quæ docet vanitatem; et alia scientia crinis, quæ docet voluptatem. Illa tanquam pater, ista tanquam mater nobis est: sicut enim mater filio suo semper optat quietem, et omnem procrassam laborem claudit a filio suo, sic caro incassata, impinguala, dilalata recalcitrat, nec minime saltem digitis p. tūtur se contingi. Et sicut pater vult filium suum hæc illucque discurre, ad adducit unde aliquando magnificatur: sic et mundus vult hominem multis laboribus intricare, ut habeat unde superbiat, unde infletur, et desipiat de vanitate in idipsum. »

HONESTAVIT ILLUM IN LABORIBUS. — Græce, *ἐπιπέσειν αὐτὸν τὰ πύθλα*, id est, *dilatavit eum in ærumnis*, vel per ærumnas, et molestos labores, quos Jacob per quatuordecim annos subivit pascendo greges Laban, ut Rachele uxore potiretur; sed per hos labores valde dilatus est ovibus æque ac proli-bus, uberemque proventum honoris regæ ac sobolis adeptus est: sic sepe *honestas* in Scripturis sumitur pro opulentia: honestus enim dicitur quasi *honoris status*, ut aiunt jurisonali; honorem autem conciliant opes: divites enim ab omnibus coluntur et honorantur.

ET COMPLEVIT LABORES ILLIUS. — Græce, *ἐπέπλησεν*, id est *multiplicavit*, hoc est, multiplici mæcedo et fructa compensavit labores illius, dum scilicet greges Jacob præ gregibus Laban copiosa fetura et proventu adauxit et multiplicavit: sic igitur Deus labores Jacobi, qui primis annis steriles et fructu vacui videbantur, posteriori tempore magnis ovium opumque incrementis cumulavit, Genes. xxx, 43, et xxxi, 9.

Tropologie et mystice, Ecclesia in officio Ecclesiastico hæc adaptat sanctis confessoribus et martyribus; unde S. Bonaventura censet hic notari insignia sex beneficiæ, quæ Deus justis et sanctis confert, *primam* est justificare, id notat *vox justum*; *secundam*, deducere in profectum conversationis; *tertium*, ostendere regnum in gratia vel secreto contemplationis; *quartum*, dare scientiam sanctorum, instruendo in agnitione divini voluntatis; *quintum*, honestare in laboribus didicendo meritis; *sextum*, complere labores, tribuendo premium cum perseverantia. Accedit S. Bernardus loco jam citato: « *Et complevit, inquit, labores illius*, vel hic in perseverantia, ut usque ad finem justum non derelinquit; vel illic in gloria, ut gaudeat in æternum. Felix utraque completo, cum et hic moritur justus plenus

dierum, et illic oritur in plenitudine dierum: utrobique plenus, et hic gratia, et illic gloria, quia gratiam et gloriam dedit Dominus, amen. » Beatus ergo est is, cui Deus multiplicat labores et dolores: sic enim et multiplicat eorum fructus ac coronas.

11. IN FRAUDE CIRCUMVENIENTIUM ILLUM AFFUIT ILLI. — Græce, *ἡ ἀποκαταστάσις αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἀδικῶν*, id est, in avaritia iniqua et fraudulenta (Complutenses, in superioritate) invalescentium, vel prevalentium, illi ostendit: *ἀποκαταστάσις* enim est plus habendi acquirendique cupiditas immodica, avaritia, quæ sibi partem justo maiorem præcidit, improba alieni cupiditas, et vitium ejus, qui in omni re precipuum quippiam habere vult; ita dicta a *ἀποκαταστάσις*, id est a plus habendo quam jus postulat aut permittit, cum scilicet quis fraudatis aliis, plus sibi usurpat, quam par est; unde a Cicerone vocatur *fraudatio* et *circumscripcio*. Sic Laban hic fuit fraudator et circumscripcor Jacobi: sensus enim est, q. d. Cum Jacob a Laban socio, et filiis versisque ejus per avaritiam et fraudem opprimeretur, sapientia et Deus affuit Jacobo, fecitque ut fraus hæc in ejus bonum eederet, eumque locupletaret; unde sequitur: « Et honestum fecit (græce, *ἐπέστησε* id est *dedit*) illum: » historia narratur *Genes. xxxi. 6* et seq., vide ibi dicta.

12. CUSTODIUIT ILLUM AB INIMICIS, ET A SEDUCTORIBUS (græce, *ἐκείνην τὴν ἡμέραν* id est *insidiatoribus*) TUTAVIT ILLUM, — scilicet a Laban socio, qui Jacob ingentem cum uxoribus ac filiis insecutus est, dixi enim illi Deus in somnis: « Cave ne loquaris contra Jacob quidquam durius; » ab Esau quoque, qui illi insidiabatur; tum etiam a Chananeis, a quibus in magno periculo fuit, ne penitus cum universa familia deleteretur, cum Simeon et Levi filii ejus furore perciti, ob sororem Dinam a Sichem violabant, Sichimitas omnes crudelissime occiderunt, *Genes. xxxiv.*, a quibus periculis sapientia eum tutata est.

ET CERTAMEN FORTE DEDIT ILLI UT VINERET, ET SCRIBER QUONIAM OMNIUM POTENTIOR EST SAPIENTIA. Syrus, et in forti certamine justificavit eum; Arabicus, et gubernavit illum ingrante ei forti certamine, ut sciat quod bonus cultus (id est pietas et devotio) factus est fortior omnibus rebus; græce, *ἡ ἀποκαταστάσις αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἀδικῶν*, id est, agone durum subire et vincere dedit illi; Vatablus, obviandum ei arduum certamen constituit: ubi nota *ἡ ἀποκαταστάσις*, q. d. Sapientia et Deus, quasi brabeuta, insiluit et proposuit *facto*, quasi agoniste et certatori, durum luctum et certamen, æque ac condigna certaminis victorieque præmia et bravia, dum scilicet eum objevit avaritiæ Laban, atque iræ et persecutioni Esau, ac Chananeorum, cæterorumque hostium; dum objevit et angelum, cum quo luctans et vincens, ab eo benedictionem omnium honorum fertilem accepit, ac gloriosum nomen adeptus est: nam colluctator ejus ange-

lus, sineus se ab eo vincti, nuncupavit eum *Israel*, id est *prevalens vel dominans Deo*, *Genes. xxxii. 28*: vide ibi dicta. Deus ergo Jacobo cæterisque suis athletis, ac præsertim martyribus, durum objevit agone et certamen, hoc fine, ut vincant et victores coronentur, qua de causa inde ipse vires eis suggit ad vincendum: hoc enim significat *ut vinceret*, q. d. Ideo Deus fortis et dura suis objevit certamina, ut quo durior esset lucta, eo gloriosior sit eorum victoria, ac illustriores coronæ et tropheæ.

Audi S. Bernardum, serm. *De S. Martino*, celebrantem hanc ejus vocem: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua*: illum enim admirans exclamat: « O vero sanctissimum animam, o inestimabilem charitatem, o obedientiam singularem! Bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem servasti, de reliquo superest tibi corona justitiæ, quam reddet tibi Dominus hodie justus iudex; et adhuc dicis: *Non recuso laborem, fiat voluntas tua*. » Deinde ipsum comparat eum Abraham: « Obtulisti plane Isaac, unicum illum, quem diligis, quod in te est jugulasti, immolasti singulare gaudium tuum pia devotione, paratus irem redire in pericula, innovare certamina, demo subire laborem, sustinere tribulationem, prolongare tentationem, deinde differi adhuc ab illa tanta felicitate, et diu desiderata societate spirituum beatorum, atque in hujus mortalitatis ærumnas ab ipso introitu gloriæ revocari: postremo (quod maximum est) a Christo tuo peregrinari diutius, si modo ipse voluisset. » Idem, serm. *De S. Clemente*, qui proxime sequitur, sic ait: « Beato Clementi certamen forte dedit, ut vinceret, et disceret quoniam omnium potentior est sapientia. Vestrum autem certamen quale est, fratres mei? Quotidie vobis suggeritur in cordibus vestris: Frange ordinem tuum, murmura, delatæ, age remissius, infirmitatem stimula, responde ei qui forte durius tibi locutus est, ut satisfacias desiderio tuo; nec dicatur cuiquam: Nisi hæc feceris, morieris; sed ut multum, cum difficultate et labore resistes animo tuo: et quis sustineret tanta? Hæc enim intus audire, læte respondere consuevimus exhortantibus nos, aut foris homini, aut intus Spiritui Sancto. Si ergo in hujusmodi certamine periclitamur, & vix resistimus, si interdum etiam succumbimus, quid in illo tam gravi certamine faceremus? si juncis fragilibus cedit infirmitas nostra, quomodo tellis resisteret? Videtis quemodo ad nihilum redacti sumus, et sicut solent mulieres aut parvuli, pugnantibus laudamus alios, pugnare ipsi non possumus. » Considera, quænam forte certamen obiecit S. Laurentius in craticula, S. Vincentius in equuleo, S. Sebastianus in scopo, S. Agnes in rogo.

Mystice, certamen forte est, quo homo vitæ dæbellat, concupiscentiam subjugat, imo vitæ affectus ac seipsum superat, itaque virtutem ipsam,

quæ et Deum quasi vincit, sibi que devincit: magnum est hoc certamen, quo homo Deum insuperabilem superat, ideo tamen superat, quia ipse vult superari, atque a luctante et laborante possidendi.

ET SCRIBER QUONIAM OMNIUM POTENTIOR EST SAPIENTIA. — Pro sapientia græce est *σοφία*, id est *pietas, religio, Dei cultus, devotio*, ut vertit Arabicus, *q. d. Deus forte certamen dedit Jacobo*, ut ipse ex se disceret, quod omnibus certaminibus, luctis et hostibus fortior sit Dei cultus et religio: hæc enim Deo sibi devincit et obligat, ut religionem sui cultorem faciat in omni certamine superiorum, victorem et triumphantorem. Hinc liquet, quid toto hoc libro per sapientiam intelligatur, nimirum *σοφία*, id est *verus Dei cultus*, per vera officia hominis fidelis Deum timentis, amantis et colentis, qui omnia que Deus jubet, vel sibi grata fore significat, illico magno ardore amplectitur et exsequitur, ut dixi initio libri, ac sæpe alias toto opere deorsum. Intellige hæc de sapientia creata, que homini tribuitur: nam *in creata* in Deo est ipsa ejus immensa sapientia et sanctitas, a nobis summa reverentia et pietate colenda et veneranda, quæ idea est et artifex remorum omnium, tum naturalium, tum moralium, tum supernaturalium, ut dixi cap. vii.

13. HEC VENTURUM JUSTUM NON DERELIQUIT, SED A PECCATORIBUS LIBERAVIT EUM, DESCENDITQUE CUM ILLO IN FOVEAM. — Transit a Jacobo patre ad filium Joseph, quem a fratribus venditum sapientia custodivit et evexit ad principatum Ægypti: peccatores vocat fratres ejus, qui ex invidia eum occidere cogitabant, sed ad preces Judæ eum venderunt Ismaelitis. Græce est, *ἡ ἀσπείρα*, id est *a peccato, scilicet adulterii, liberavit sapientia Josephum*: ad hoc enim illecta ejus pulchritudine sollicitabat eum heras, uxor Putipharis; sed sapientia tantam illi dedit castitatem et constantiam, ut responderet, *Genes. xxxix. 9*: « Quomodo ergo possum hoc malum facere, et peccare in Deum meum? » hinc S. Ambrosius, lib. *De Joseph*, cap. i.: « Jure, inquit, mirandus (Joseph) qui hoc fecit ante evangelium, ut Jesus præceret, appetitus ignosceret, venditus non referret injuriam, sed gratiam pro contumelia solveret: quod post evangelium omnes didicimus, et servare non possumus; » et cap. v.: « Ille dominus, qui amantis non excepit faces, qui lenocinantis vincula non sensit, quem nulla mortis formido perterruit; qui maluit liber criminis mori, quam potentie criminose eligere consortium: ille liber, qui turpe credidit vicem gratiæ non referre; et post nonnulla: « Itaque vestem exiit, crimen excessit, et relicto quibus tenebatur exuviis, spoliatus quidem, sed non nudus aufugit, qui erat tectorio indumento pudoris. » Suspicatur noster Loricus, notari hic peccatum pederastiæ, ad quod fratres Josephum, ob insignem ejus formam, sollicitarunt; unde ipse eos apud

patrem accusavit de crimine pessimo, *Genes. xxxvii. 2*: vide ibi dicta. Vere S. Augustinus, serm. *83 De Temp.*: « Magnus, inquit, plane vir (Joseph), qui venditus servitū tunc nescivit, ingenium adamatum non redamavit, rogatus non acquievit, apprehensus aufugit. »

DESCENDITQUE CUM ILLO IN FOVEAM. — Græce, *ἰν λακῶν*, id est in cisternam, in quam fratres eum projecerant, inquit Hugo: rursus in *λακῶν*, id est in carcerem, in quem heras Putiphar eum ab uxore accusatum de adulterio, conjecit; unde per epexegesin mox explicans subdit: « Et in vinculis non dereliquit illum: » ita passim interpretes. Sic Jeremias a Judæis in lacum conjectus est, quasi in carcerem, *Jerem. xxxviii. 15*, et *xxxviii. 6* et seq. Discite hic non timere carceres, cruceas, ærumnas quaslibet pro Deo, quia Deus ad illas tecum descendit, illas tecum subit et superat, juxta illud *Psal. xc. 15*: « Cum ipse sum in tribulatione; » et *Psal. xxii. 4*: « Si ambulaveris in medio umbre mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es; » et *Psal. xlv. vers. 6*: « Deus in medio ejus, non commovebitur: » ubi S. Augustinus: « Saviat, inquit, mare, conturbentur montes, Deus in medio ejus, non commovebitur. » Vide S. Bernardum, *epist. 42*, ubi inter alia ait: « Ipsam denique si non esse intrare gehennam, securus medias penetras flammis læta decanet conscientia, *Psal. xxii. 4*: « Et si ambulaveris in medio umbre mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. »

14. ET IN VINCULIS NON DERELIQUIT ILLUM, DONEC AFFERRET ILLI SCRIPTRUM REGNI, ET POTENTIAM ADVERSUS EOS QUI EUM DEPRIMEBANT: ET MENDACES OSTENDIT, QUI MACULABERUNT ILLUM, ET DEDIT ILLI CLARITATEM ÆTERNAM. — Vide hic potentiam et beneficentiam sapientiæ, quæ Josepho vincula convertit in sceptras, compedes in stolarum byssinam, catenas in torquem aureum, carcerem in solium regium. Pro *scriptum* græce est *scēptrā*, quæ vox notat multiplex et omnigenum Josephi imperium in Ægypto: Pharaon enim evexit, ut esset omnium, quod principis in tota sua ditione gubernator et princeps, adeoque regis quasi rector et rex: quare etsi non regio nomine, regnum, sed gratiam pro contumelia solveret: quod post evangelium omnes didicimus, et servare non possumus; » et cap. v.: « Ille dominus, qui amantis non excepit faces, qui lenocinantis vincula non sensit, quem nulla mortis formido perterruit; qui maluit liber criminis mori, quam potentie criminose eligere consortium: ille liber, qui turpe credidit vicem gratiæ non referre; et post nonnulla: « Itaque vestem exiit, crimen excessit, et relicto quibus tenebatur exuviis, spoliatus quidem, sed non nudus aufugit, qui erat tectorio indumento pudoris. » Suspicatur noster Loricus, notari hic peccatum pederastiæ, ad quod fratres Josephum, ob insignem ejus formam, sollicitarunt; unde ipse eos apud

Moraliter, discite ex Josepho labores et cruceas certam esse viam ad gloriam et regnum; dum ergo in his versaris, eosque superas, certus esto de victoria, triumpho et gloria, quem tibi adornat Christus, qui in te, et pro te certat et vincit, Audi S. Bernardum, serm. *47 in Cant.*: « Utrumque es mihi, Domine Jesu, et sacerdotio et rege.

et primum patientis (sui, ut paulo ante dixerat: *Pugnantis forma, et gloria triumphantis*). Tu doces manus meas ad primum, exemplo virtutis tui: tu caput memum post victoriam tue coronas presentia inajstatis: sive quia pugnanti te specto, sive quia te expecto non solum coronantem, sed etiam coronam: in utroque mirabiliter tibi me aliois; uterque fanis vehementissimus ad trahendum. » Et S. Ambrosius, lib. De Joseph, cap. v: « Non turbentur, inquit, innocentes, cum falsis criminibus appetuntur, cum oppressa justitia traduntur in carcerem. Visitat Deus et in carcere suos, et ideo ibi est plus auxilii, ubi est plus periculi. Sed quid mirum, si visitat Deus in carcere positos, qui seipsum in suis in carcere inclusum esse memoravit, sicut habes scriptum *Matth. xxv, 43: In carcere eram, et non venistis ad me.* » Et Philo, lib. De Joseph: « Jam loquens, inquit, non tam carcer erat, quam disciplinae meditariura; » unde S. Cyprianus, lib. IV, epist. I ad Martyres, ex veteri editione: « O beatum, inquit, carcerem, quem illustravit vestra presentia! O tenebre solo ipso lucidiores, ubi constituta sunt Dei templa? » Quin et Seneca, *Consol. ad Albinam*: « Carcerem, ait, intravit Socrates, ignominiam ipsi loco detractorus: neque enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat. »

ET POTENTIALI ADVERSUS EOS QUI EUM DEPRIMENT. — Græce, καὶ ἰσχυρῶς ὑπερνείκων αὐτοῦ, id est, et potentiali eorum, id est in eos, qui eum tyrannice exercebant contra ipsum: et enim ὑπερνείκων duo significat, primum, qui dominantur ei; secundum, qui tyrannizabant eum, id est qui tyrannidem in eum exercebant, qui tyrannice eum opprimebant: Joseph enim factus Egypti princeps a fratribus, qui eum tyrannice vendidant, adoratus est: idem heram suam et herim putipharem (si adhuc in vivis erant) ejusque famulos et administratos, qui eum de adulterio accusarant et in carcerem compegerant, sibi subiectionis habuit.

ET MENDACES OSTENDIT, QUI MACULAVERT ILLUM. — Græce, τὰς ψευδομαρτυρίας αὐτοῦ, id est, qui eum accusarant, criminati erant, falsoque adulterij insimularant: horum enim falsitatem et mendaciam ostendit, primo, per insignem easitatem et sanctimoniam Josephi, quæ adeo in vultu, gestibus et acibus omnibus elucebat, ut videretur angelus quidam terrestris; secundo, per donum prophetiæ, ob quod a Pharaone erectus est ad principatum: hoc enim donum non nisi castis datur; tertio, aliis iudiciis et signis, quæ tacet Scriptura, putiphari cognovit uxoris mendaciam accusationem, et Josephi innocentiam. Forte etiam ipsa axor virtutem Josephi admirata, vel coacta a Deo, facti penitentis crimen et criminalitatem suam falsam confessæ est, ut alias sepe accidit, Deo cogente falsos accusatores, presertim in crimine fornicationis, falsitatem suam aperire et confiteri, cuius rei passim existant exempla in Vita

S. Marini, S. Engonice, S. Irenes Lusitanæ, etc.

ET DEDIT ILLI CLARITATEM (græce, δῶκεν, id est gloriam) æTERNAM. — Joseph enim in Egypto ac per totum orbem tantum nomen obtinuit, ut vocaretur Salvator mundi, Genes. xli, 43: ejusdem virtus et gloria etiamnum perennat et perennabit in omne ævum. Anagogice, gloriam felicis æternæ in cælo adeptus est Joseph: ita S. Bonaventura, qui et tropologicè in sex justis hinc usque recensitis, notat sex tentationum species et modos, a quibus eripit sapientia, juxta illud, *Job v, 19: a In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum.* » Adam vel Eva sunt a diabolo liberati: Noe a fomite, quo corrupta erat omnis caro: Abraham interna superbia, cujus exemplum turris ædificatores præbebant: Lot ab externo pravo exemplo, et improba sollicitatione Sodomiarum: Jacob a doli ac inimicitis: Joseph ab adversitatibus mundi. Rursus notat inimicum triplicem, diabolum, carnem, mundum, quam adumbrabant tres hostes Salomonis, variis nos modis adorii: nam *diabolus* aggressus est primos parentes visibilibus, Abraham invisibilibus; *carnis* tentatio secundum naturalem usum objecta est Noe, Lot contra naturam; *mundus* fraudibus egit cum Jacob, vi atque sevilita cum Joseph. Hucusque exempla sapientie recensuit ex Genesi, quod sequitur petitum est ex Exodo.

13. HEC POPULUM JUSTUM, ET SEMEN SINE QUINELA (græce, ἀμικτων, id est irreprehensibile, inculpatum) LIBERAVIT A NATIONIBUS, QUÆ ILLUM DEPRIMEBANT. — Græce ὑπερνείκων, id est affligebant, tribulabant, stringebant, elidebant, q. d. Sapientia liberavit Israel, puta Hebræos, ex Egypto duce Mose, cum Egypti eundem opprimerent: lege *Exod. cap. I* et seq. Hebræos vocat *populum justum*, quæ græce δίκαιον, id est sanctum et inculpatum, primo, ob Dei vocationem et electionem, quia Deus Hebræos ex omnibus gentibus elegerat sibi in populum, id est in Synagogam et Ecclesiam, ut ab eo sacrificiis et legibus a se sanctis coleretur. Sanctum ergo, id est fidelem et Dei cultu deputatum; item *sanctum*, id est sanctorum patriarcharum stirpem et posteritatem: « nam si delictatio sancta est, et massa: et si radix sancta, et rami, » inquit Apostolus, *Rom. xi, 16*. Sic Apostolus in initio Epistolarum Romanorum, Corinthios, Ephesios, etc., vocat *sanctos*, quia vocati erant ad Dei fidem, cultum et sanctitatem; unde et Ecclesia dicitur sancta. *Secundo*, quia inter ipsos primosque Hebræos multi erant sancti, ut Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moses, Josue, et ceteri, qui a Pharaone opprimebantur: oppressio enim facit sanctos, cogitque ad Deum confugere; unde non leguntur Hebræi in Genesi et Exodo cohibisse idola usque ad exitum ex Egypto, cum in Sinæ absente Mose fabricarunt et adorarent vitulum aureum, *Exod. xxxii, 4*. Sic Ecclesia dicitur *sancta*, quia multi in ea sunt sancti, etsi quædam sint im-

pi: a potiori enim et digniori parte res denominatur.

16. INTRAVIT IN ANTRUM SERPENTIS (MOSIS) ET STETIT CONTRA REGES HORRENDOS IN PORTENTIS ET SIGNIS. — Græce, *vestitit vestibus terribilibus per miracula et signa*. Reges vocat regem Pharaonem, qui unus fuit, suo tamen fastu, tyrannide, dolo et fraude multiplice, erat instar multorum: sic de David unum Goliath necante creverunt, *I Reg. xviii, 7*: « Percussit Saul mille, et David decem millia; » et Nicetas in *orat. 40 Nazianzen*: « Adversus spirituales Goliath strenue ac fortiter pugna, inquit, quæ multiplices illius vires et machinas, velut cæliadas quasdam et myriadas, in partem redige. » Est enallage frequens Hebræis, presertim poetis. Notat decem plagas Pharaoni et Egypto inflictas a Deo per Mosen, quibus eum coegit dimittere Hebræos: vide dicta *Exod. vii* et seq. Deus enim animam Mosis possidebat, per eumque omnia loquebatur, jubebat et operabatur tam mira et portentosa.

17. ET REDDIDIT JUSTIS (HEBRÆIS, FIDELIBUS DEI CULTORIBUS) MERCEDEM LABORUM SUORUM. — Servierant Hebræi Egyptis in operibus agriculture et fabricis, sed debita mercede eos defraudarunt. Egypti; hanc ergo jubente Deo sibi recompen-sarunt Hebræi, spolando Egyptos, quare hoc spolium, non tam spolium fuit, quam justitia laborum et injuriarum merces: accepturum enim mutuo vasa aurea et argentea, vestes aliasque res pretiosas ab Egyptis quas nunquam reddiderunt, sed exeuntes ex Egypto secum ea detulerunt: vide dicta *Exod. cap. xii, 36*.

ET DEDUXIT ILLOS IN VIA MIRABILI, ET FIT ILLIS IN VELAMENTO DIEI, ET IN LUCE (græce, ἐν φλόγι, id est in flammam) STELLARUM PER NOCTEM. — Syfus, et dedit eos per mare Rubrum terribile, et duxit illos in tæternaculum per diem et pro luce stellarum in nocte; Arabicus, et dedit eos per viam mirabilem, et facta est illis in die lux, et noctu pro ortu stellarum splendor. Notat iter Hebræorum per desertum in Chanaan, quod sane fuit mirabile multis modis: Deus enim omnes Hebræos, quorum numerus ascendebat ad tres milliones, sive tricies centena millia hominum, per 40 annos aluit in deserto arido et sterili cibo celesti, puta manna, ac aqua e petra scaturiente potavit, atque vestes omnium servavit incorruptas, imo feli, ut vestes cum pueris crescerent; conservavit eos ab omni injuria aeris, et incursum hostium; dedit eis colamannam ignis et rubis, quæ velut dex. iter præcebat, ducente eam angelo, puta S. Michaelis, qui olim Synagoge, nunc Ecclesie est custos et preses. Unde quocumque movebatur columna, eo ire intendebant castra Hebræorum; ubicumque vero consistebat clarana, ibi castra stabant et ipsi. Porro hæc columna per diem opaca erat ut nubes, ut Hebræos protegeret a radiis et aestu solis; per noctem vero splendida ut lux, ut in

men eis præberet. Fuit ergo eis « in velamento diei, » græce, *in velamento per diem*, quia columna hæc, cum iter agerent, per diem excolebatur se, ut ait Nyssonus, et quasi aliam nubem, quæ tota Hebræorum castra obumbraret, et contra radios solis obvelaret, ex se spargebat; noctu vero contrahat se, lucebat ut stella, imo ut stellarum congeries et multitudo. Unde fuit eis « in luce (id est pro luce et splendore) stellarum, » vel, ut græce est, *in flammam stellarum*: coruscabat ergo hæc flamma in columna, sicut lux flammae Hesperii, aut sicut fax flammae in pharo, ut a totis Hebræorum castris eminens videri posset, quod difficile fuisset in igne, ignis enim obscurus et hebetus luce: vide dicta *Exod. xiii, 21*, et *Numer. ix, 15* et seq.

Mystice, mira est Dei via, modus et ratio, qua electos suos in hujus vite deserto, per tot casus, insidias, pericula, hostes, ærumnas, labores, tentationes, cruceis, martyria deducit ad terram viventium eis promissam in cælis. Hujus itineris dux est columna ignis et rubis, id est Spiritus Sanctus, qui sanctos in dubiis illuminat, ut lux; in adversis et ardore tentationis obumbrat, refrigerat et protegit, ut nubes; in tepore et frigore pusillanimitatis accendit et inflamat, ut ignis et flamma. Consideret quisque justus et religiosus motus et vias, quibus per omnem vitam Dei sapientia et providentia eum in via justitie deducit, servavit, promovit, et miras agnoscat, admirabitur et obstupescet, immensusque Deo gratiasaget. Id faciunt beati in cælo, ubi clarè vident pericula plurima salutis in que incurserunt, quæque Dei providentia salvæ et incolamus evaserunt, ideoque perennes Deo laudes canunt.

18. TRANSVULSIT (græce ὑπέστρεψε, id est profecit, transmissit, tradidit) ILLOS PER MARE RUBRUM, ET TRANSVULSIT ILLOS PER AQVAM NINIAM. — Loquitur de transitu Hebræorum per mare rubrum, non quod ipsi supra aquam maris ambularent, ut vult S. Samuel Marochianus, lib. *De Adventu Messie*, cap. xv, sed quod Deus per Mosem virga percutiens ejus alveum illis transiverit: historia narratur *Exod. cap. xiv*. Unde Vatablus vertit, *dedit eis transitum per mare Rubrum, et per aquas pluviarum tradidit eos*.

19. INIMICOS AUTEM ILLORUM DENERSIT IN MARE (dum), postquam mare sicco pede transissent Hebræi, Deus aquas maris in suum alveum revolvit, iisque insequentes Egyptios cum Pharaone obruit et submersit, *Exod. xiv*: ET AB ALTITUDINE INFERRORUM EDUXIT ILLOS. — Vatablus vertit, *undis autem obruit illos eorum, et imas profunditate scatebas in eos emisit*; melius alii, *ex profunditate abyssus emittit* (id est aestu maris impellente ascendere) fecit illos: quod Hugo, Lyranus, Dionysius et alii intelligunt de Hebræis, q. d. Deus Hebræos descendentes in alveum siccum Maris Rubri quati in abyssum, inde eos incolamus ascendere fecit

VI
bis loca
electos
sunt de-
ducti in
vita de-
serto.

et eduxit: similis enim modo ait Ecclesiasticus, cap. xv, vers. 7, se eductum a Deo « de altitudine ventris inferi. » Malus Cantacuzenus, Jansenius et alii exponunt de Ægyptis, q. d. Deus Pharaonem et Ægyptios in Mare Rubrum quasi in abyssum et voraginem profundissimam jam demersos et suffocatos, rursus vestu maris in superficiem ejus egurgitavit, et velut despumavit in litus, ut ibi eorum arma et spolia diriperet: hoc enim dixit Exod. xiv, 31, et hic sequitur: hoc enim significat grecum ἀπορροή, id est offerbat, extorsit, restuando expulsi, aesta et agitatione eiecit, egurgitavit: unde ἀπορροή vocantur aestuaria, hoc est fosse, sive concavitates marinis aquis ex inundatione pelagi reforte, per quas in Mediterranea instar fluviorum navigantes ascendunt ad rivas, presertim oppida. Idem accidisse testatur Josephus, lib. II Antiquit. cap. ult., et Phlo, lib. de Vita Mosis, nimirum Ægyptios Mari Rubro demersos, vi ventorum et fluctuum eiectos in litus, ut de eorum erudo victores exultarent Hebræi, eorumque spolia diriperent. Hoc est quod subdit:

IUSTI (fideles Hebræi) TULERUNT SPOLIA IMPERIIUM, — Ægyptiorum jam Mari Rubro demersorum, et vi fluctuum in litus eiectorum; unde Josephus, lib. II, cap. ult., assertit, allera post submersionem die, cum aestus et ventus arma Ægyptiorum in litus expulisset, Mosen ea colligisse, et in Hebræos viritum distribuisse. Hic impletur est illud, Proverb. xiii, 22: « Custoditur iusto substantia peccatoris. » Ex hoc loco probat S. Augustinus, epist. 48 ad Bonifacium, hæreticos iuste posse privari privatione honorum, eaque transcribi ad fideles orthodoxos.

20. ET DECANTAVERUNT: DOMINE, NOMEN SANCTUM, ET VICTRICEM MANUM TUAM LAUDAVERUNT PATRITER. — Græce est ἠνεστη, id est hymnum cecinere. Pro victricem, græce est ἠνεστη, id est

superpugnacem, id est pugnacissimam, fortissimam, bellicosissimam. Pro patiter, græce est ἀδελφικῶς, id est uno animo, uno ore, communi omnium consensu, unanimi omnium voce et consonantia; unanimiter concincentibus omnibus, viris, mulieribus et pueris: cecinerunt enim Deo carmen eucharisticum, quo triumphantes Deum victorie tantæ de Pharaone merso anastorem omnes unanimiter collaudarunt, viri quidem omnes præunte et præcinate Mose, feminae vero præcinate Maria sorore Mosis: « Cantemus Domino, gloriosus enim magnificentus est: equum et ascensorem dejecit in mare, » etc., Exod. xv, 1 et seq.

21. QUONIAM SAPIENTIA APERUIT OS MUTORUM, ET LINGUAS INFANTUM FECIT (græce, ἔνεα, id est posuit) DISERTAS, — q. d. Sapiencia Hebræorum, qui prius obsessi a Pharaone præ metu videbantur muti et infantes elingues, ac hiscere non audebant, mersis Ægyptiis, animos laxavit, oraque resolvit, ut epinicion jam libera, discrete et alacriter Deo canerent. Rursus nihil obstat, inquit noster a Casiro, verba autorum et infantium proprie accipere, ac affirmare pueros balbulentes et adhuc infantes, simul cum parentibus et ceteris viris ac feminis, laudes quoque cecinisse gratulatorias, cum infantium maxime loquels delectetur Deus: nam « ex ore infantium et lactentium perfectæ laudes, propter inimicos suos et ultores, » Psalm. viii, 3. Sic et Dionysius Carthusianus opinatur forsitan aliquos naturaliter mutos, tunc supernaturaliter loquendi canendique usum recepisse, ac in nonnullis infantibus anticipatum fuisse lingue usum.

Mystice, Ecclesia in Officio Ecclesiastico totum hoc caput a lapat confessoribus et martyribus, ac apposito sensu de iisdem illud explicat Dionysius Carthusianus, et interpolate Hugo.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur sapientis paternam providentiam erga Hebræos post exitum ex Ægypto, ac eandem per antithesin comparat cum vindicta, quam eadem sapientia inflicta Ægyptiis. Unde primo, celebrat virtutem aquarum et petra jussu Dei scaturientium, ad levandam sitim Hebræorum, illudque opponit miraculo, quo Deus aquas Ægypti vertit in sanguinem, ad potandum puniendumque Ægyptios qui pueros Hebræorum occiderant. Secundo, vers. 19, docet Deum punivisse Ægyptios per viles bestias, ut ranas, muscas, serpentes, quos antea ipsi coluerunt quasi deos, ut eorum superbiam castigaret, et suam potentiam ostenderet. Denique, vers. 21, ostendit miram Dei clementiam, qui cum eam omnipotentia potuisset solo nutu afflare et annihilare Ægyptios, modice tamen per exilia et villa animalia eos castigavit, ut converterentur ad penitentiam, et veritatem impetrarent. Omnia enim, inquit, in mensura, et numero, et pondere disposita.

1. DIREXIT OPERA EORUM IN MANIBUS PROPHETÆ SANCTI. 2. ITER FECERUNT PER DESERTA, QUÆ NON HABITABANTUR: ET IN LOCS DESERTIS FIXERUNT CASAS. 3. STETERUNT CONTRA HOSTES, ET DE NI-

MIIS SE VINDICAVERUNT. 4. STETERUNT, ET INVOCAVERUNT TE, ET DATA EST ILLIS AQUA DE PETRA ALTISSIMA, ET REQUIES SITIS DE LAPIDE DURO. 5. PER QUÆ ENIM PENAS PASSI SUNT INIMICI ILLORUM, A DEFECTIOE POTUS SUI, ET IN EIS, CUM ABUNDARET FILII ISRAEL, LAETATI SUNT: 6. PER HÆC, CUM ILLIS DEESSENT, BENE CUM ILLIS ACTUM EST. 7. NAM PRO FONTE OUIDEM SEMPTERNI FLUMINIS, HUMANAM SANGUINEM DEDISTI INJUSTIS. 8. QUI CUM MINUERENTUR IN TRADITIONE INFANTUM OCCISORUM, DEDISTI ILLIS ABUNDANTEM AQUAM INSPERATE. 9. OSTENDENS PER SITIM, QUÆ TUNE FUIT, QUOMADMODUM TUOS EXALTARES, ET ADVERSARIOS ILLORUM NEQARES. 10. CUM ENIM TENTATI SUNT, ET QUIDEM CUM MISERICORDIA DISCIPLINAM ACCIPIENTES, SCIERUNT QUOMADMODUM CUM IRA JUDICATI IMPII TORMENTA PATERENTUR. 11. HOS QUIDEM TANQUAM PATER MOMENS PROBASTI: ILLOS AUTEM TANQUAM DURUS REX INTERROGANS CONDEMNASTI. 12. ABSENTES ENIM ET PRÆSENTES SIMILITER TORQUEBANTUR. 13. DUPLEX ENIM ILLOS ACEPERAT TÆDIUM, ET GEMITUS CUM MEMORIA PRÆTERITORUM. 14. CUM ENIM AUDIRENT PER SUA TORMENTA BENE SECUM AGI, COMMÉMORATI SUNT DOMINUM, ADMIRANTES IN FINEM EXITUS. 15. QUEM ENIM IN EXPOSITIONE PRAVA PROJECTUM DERISERUNT, IN FINEM EVENTUS MIRATI SUNT, NON SIMILITER JUSTIS SITIENLES. 16. PRO COGITATIONIBUS AUTEM INSENSATIS INIQUITATIS ILLORUM, QUOD QUIDAM ERRANTES COLEBANT MUTOS SERPENTES, ET BESTIAS SUPERVACUAS, IMMISISTI ILLIS MULTITUDINEM MUTORUM ANIMALIUM IN VINDICTAM: 17. UT SCIRENT, QUIA PER QUÆ PECCAT QUIS, PER HÆC ET TORQUETUR. 18. NON ENIM IMPOSSIBILIS ERAT OMNIPOTENS MANUS TUA, QUÆ CREAVIT ORBEM TERRARUM EX MATERIA INVISA, IMMITTERE ILLIS MULTITUDINEM URSORUM, AUT AUDACES LEONES, 19. AUT NOVI GENERIS IRA PLENAS IGNOTAS BESTIAS, AUT VAPOREM IGNIUM SPIRANTES, AUT FUMI ODOREM PROFERENTES, AUT HORRENDAS AB OCULIS SCINTILLAS EMITTENTES: 20. QUARUM NON SOLUM LÆSURA POTERAT ILLOS EXTERMINARE, SED ET ASPPECTUS PER TÍMOREM OCCIDERE. 21. SED ET SINE HIS UNO SPIRITU POTERANT OCCIDI PERSECUTIONEM PASSI AB IPSIS FACTIS SUI, ET DISPERSI PER SPIRITUM VIRTUTIS TUÆ: SED OMNIA IN MENSURA, ET NUMERO, ET PONDERE DISPOSITI. 22. MULTUM ENIM VALERE, TIBI SOLI SUPERERAT SEMPER: ET VIRTUTI BRACHIÏ TUÏ QUIS RESISTET? 23. QUONIAM TANQUAM MOMENTUM STATERÆ, SIC EST ANTE TE ORBIS TERRARUM, ET TANQUAM GUTTA RORIS ANTELUCEANI, QUÆ DESCENDIT IN TERRAM. 24. SED MISERERIS OMNIUM, QUIA OMNIA POTES, ET DISSIMULAS PECCATA HOMINUM PROPTER PŒNITENTIAM. 25. DILIGIS ENIM OMNIA QUÆ SUNT, ET NIHIL ODISTI EORUM QUÆ FECISTI: NEC ENIM ODIENS ALIQUID CONSTITUISTI, AUT FECISTI. 26. QUOMODO AUTEM POSSET ALIQUID PERMANERE, NISI TU VOLUISSES? AUT QUOD A TE VOCATUM NON ESSET, CONSERVARETUR? 27. PARCIS AUTEM OMNIBUS: QUONIAM TUA SUNT, DOMINE, QUI AMAS ANIMAS.

1. DIREXIT OPERA EORUM IN MANIBUS PROPHETÆ SANCTI — Mosis. Pro direxit græce est ἐπέστη, id est bene direxit, bona via duxit, prosperavit, fecit ut felices exitus haberent opera et itinera Hebræorum in deserto, per spatium quadraginta annorum. In manibus, id est per ductum, actionem, directionem et gubernationem Mosis, ac, ut verbo dicam, per Mosen velut Dei ministrum et instrumentum: manus enim est instrumentum instrumentorum; unde in Scriptura causam instrumentalem designat, sic in Prophetis sæpe dicitur: « Factum est verbum Domini in manu Aggei prophete, Isaiæ, Zacharie, » etc., id est per Aggum, Isaiam, Zachariam, qui erant manus, id est instrumentum, puta os Dei: propheta enim proprie fit ore, non manu. In manu ergo, hoc est opera et ministerio Mosis Deus Hebræos feliciter gubernavit, et deduxit per vastas Arabiæ solitudines, ut in deserto arido abundaret cibo, potu, veste, ceterisque rebus necessa-

riis. Sic I Machab. iii, 6, in manu Juda Machabæi « directa est salus, » id est opera et ductu Judæ parata est Hebræis victoria: salus enim populi pendet a duce, rege, principe bono et sapiente. Sic salus Hebræorum consistebat in Mose, utpote propheta, eoque sancto. Felices republicæ et regna, quæ reges habent sanctos et sapientes, quales plures hoc ævo habemus, per quos provide Deus populos eis subditos benedicit, hæreses profligat, fidem orthodoxam restituit, Ecclesiæ jura et fines propagat: illi sit laus et gloria. Porro, quomodo sapientia direxit opera Hebræorum, explicat dum subdit:

2. ITER FECERUNT PER DESERTA QUÆ NON HABITABANTUR, ET IN LOCS DESERTIS FIXERUNT (male multi legunt, fecerunt) CASAS. — Græce, ἐν ἀέροις ἐτίκωσαν, id est in inuis fuerunt tentoria, puta in Arabia deserta, cujus proinde incolæ, eo quod non in domibus, sed in tentoriis habitant, dicti sunt Scenitæ, teste Plinio lib. VI, xviii, et Noma-